

I. N. S. S. T.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS

De

JURE VI-
DUARUM,

QUAM

SUB AUSPICIO DIVINI NUMINIS,

AUTHORITATE & DECRETO

Magnifici, Nobilissimi atque Amplissimi

JURISCONSULTORUM
ORDINIS,

In Illustri ac Celeberrima Universitate

D U I S B U R G E N S I,

Pro

Summis in Utroque Jure Honoribus atque Pri-
vilegiis ritè obtinendis,

Publico Eruditorum Examine subjicit

J O A N N E S S E V E R I N I,

Essendiâ - Weistphalus,

In Auditorio majori, die 30 Octob horis consuetis.



D U I S B U R G I ad R H E N U M,

Apud FRANCONEM SAS, Academiae Typographum.

Anno M. DC. XCI.

410

15

1691, 2

3

DISPUTATIO JURIS

JURIS

De Hermologia Hermologia

De Hermologia

DE HERMOLIA DIVINI NUMINI

Faint, mostly illegible Latin text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text appears to be a philosophical or theological treatise, possibly related to the title 'De Hermologia'.



3





C A P U T I.

*De Etymologia, Hononymia
& Definitione.*



DE Jure Viduarum dissertaturus antequam ad
 ipsius rei tractationem me accingam, circa
 evolvendam vocis Etymologiam & hono-
 nymiam primam curam impendere, ac po-
 tiores ejus significatus in vestibulo expone-
 re, haud abs re fore duxi; siquidem ut Phi-
 losophus inquit errorum genitrix est æquivocatio semper,
 ita ut vix ulla definitio eâ non remotâ subsistere queat. Du-
 ctum igitur Ulpiani *in l. 1. pr. de Inst. & Jur.* sequens, primum
 præpositæ rubricæ vocabulum (jus scilicet) arripiam ejusque
 Etymologiam pro virili inquiram. Quo commodius autem
 hoc fiat, necessum mihi esse videtur circa vocem Juris hoc
 modo distinguere, aut enim (1.) jus accipitur pro lege &
 tum non inconcinnè à jussu subductâ per apocopen posteriori
 syllabâ, vel à jubendo, quoniam sequenda sequi, & vitanda
 vitare, Jubeat *l. 7. ff. de Leg.* vel (2.) pro ipsâ Jurisprudentiâ
 seu habitu practico, quo actiones morales & civiles secun-
 dum Justitiæ normam diriguntur, eaque quæ justa sunt ad
 illas accomodantur, & hâc acceptione Jus à Justitia appella-
 tum ait magnus ille JurisConsultus Ulpianus *in l. 1. de Inst.
 & Jur.* hæc verò derivatio non tam est grammatica, quæ

A 2

tantum

tantum vocem quam vox, & derivationem ejus ab alia voce attendit, quam logica quæ vocem, quatenus ad mentis intelligentiam refertur, & rem explicat, considerat. Aut tertio accipitur pro ipso bono ac æquo naturâ innato, & per habitum infusum acquisito *l. ii. de just. & jur.* quod Jus naturale appellatur, & prius justitiâ humanâ, quæ per frequentes demum actus virtuosos legi humanæ correspondentes, comparatur, existere nemo facile negabit, atque hanc justitiam, jure hoc modo accepto, posteriorem esse, ac jus non à justitiâ, sed justitiam à jure denominationem accipere ab eoque derivari lubenter concedo. Homonymiam & æquivocationem quod concernit, ex prioribus modo patet, ipsam non uno significato circumscribi, nec unâ definitione sufficienter exponi posse, sed pro variâ nominis acceptione, aliam atque aliam ipsi competere definitionem, hinc præter supra allegatas, præcipuas quasdam adhuc juris acceptiones, recensebo. Accipitur igitur jus (1.) pro legitimo seu pro eo quod secundum legum requisita factum est, sicque injustum opponitur illegitimo requisitis legum destituto *l. i. pr. ff. qui test. fac. poss. pr. §. 2. 3. & 4. Inst. quib. mod. testam. infir. l. i. de injust. rupt. & irrit.* (2.) Pro julto affirmativè sumpto cujus oppositum est iniquum & injustum *l. 3. de just. & jure.* (3.) In sensu negativo de quo injustum negatur, & hoc modo jus dicitur quod non est injustum seu juri non repugnat etsi de præcepto non participet. Hug. Grot. *de Jur. Bell. & Pac. l. i. c. i. §. 3. n. 1.* atque hoc sensu actus meræ facultatis, ac suâ naturâ liberos, indeterminatos, ac indifferentes sub se complectitur (4.) pro facultate competente alicui ad aliquid justè habendum vel agendum sic nemo plus juris hoc est facultatis seu potestatis in alterum conferre potest quam ipse habet *l. 54. de R. I.* & nullus dolo fecisse videtur qui jure suo utitur *l. 55. eod.* add. Hug. Grot. *d. l. i. c. i. §. 4. ibique not. Ioh.*

Ioh. à Felden VWilhelm. Grot. princip. jur. natur. c. 1. §. 3. Illa autem facultas vel est perfecta quâ vel omninò aliquid liberè agere, adeo ut alius illud Impediendi jus non habeat, & si impedierit, mihi in foro humano adversus impediendum actio datur, vel alium mihi obligatum, si ipse sponte implere renuat, actione apud Judicem, aut ubi huic locus non est, vi, compellere possum ut præstet quod mihi debetur. Puffendorf. *in Element. Jurispr. univers. lib. 1. D. 8. §. 2. junct. def. 7. n. 1.* Et de hâc facultate seu jure prima rubricæ nostræ pars agit. Vel est Imperfecta, quâ quidem in alio est obligatio ita ut si illud ad quod ita obligatus est deneget, iniquè quidem faciat, sed alteri propterea jus non datur, illud actione exequendi (*diciturque à Grotio d. l. 1. c. 1. §. 4. aptitudo. quo refer debita misericordia & gratia. Hug. Grot. lib. 2. c. 11. §. 3.*) nisi fortè quod juri deest casus necessitatis suppleverit. V. g. alium actione competente ad id adigere non possum ut mihi per fundum suum iter innoxium permittat, instante tamen hoste, dum aliter effugere non possum etiam cum strage obstantis per dictum fundum evadere licebit. *Hug. Grot. d. l. 2. c. 1. §. 2. n. 1. c. 11. §. 3. Puffendorff. Jurispr. Element. Univers. lib. 1. def. 7. §. 1. add. l. 1. §. 5. de Extraord. cognit. & hæc non est hujus instituti.* De Altero in scriptæ rubricæ vocabulo variæ JurisConsultorum reperiuntur altercationes. Quidam enim verbum viduæ ab antiquo verbo iduare, hoc est, dividere derivant, hincque eam solum viduam dici, quæ morte vel divortio à marito est separata, inque eam sententiam cum *Alciat. ad l. 242. de V. S. condescendit Gail. 1. obs. 1. n. 42. VVisenb. disp. ff. 1. th. 8.* E contra alii vestigiis Jcti Labeonis *in l. 242. §. de V. S.* inhærentes, vocem hanc à duitate & voce Encliticâ, ve, cujus hæc est natura ut semper privet, deducunt, hanc notionem non obscure confirmat verbum Viduare, quod nihil aliud est

- quàm privare divellere, sejungere & ad unitatem reducere, sicque privationem quandam dualitatis dicit. *hinc Horat. & foliis viduantur orni. & Virg. 8. Aenead. funera tam multis*
- 10 *viduâssent civibus urbem.* Labeo igitur viduam à vè & duitate, quasi sine duitate, sicut vecors à vè & cor, vesanus à vè & sanus, qf. dicat sine corde, sine sanitate, dictam esse, censet. Vidua verò accipitur latè tam pro omni eâ quæ jam actu maritum utpote morte, malitiosâ separatione, condemnatione ad triremes, vel alio modo à se separato, non habet, *l. 242. §. Viduam. de V.S. ibique Gloss. Gæd. & alios,* quàm quæ nunquam adhuc maritum habuit *d. l. 242.,* hocque in sensu quandoque appellari solet mulier vacans. *l. 5. §. 2. Ad. L. Iul. de vi publ. ibique Gloss. Godefr. & alios, add.*
- 11 *Coras. de arte jur. p. m. 4. c. 2.* Num autem mulier quæ maritum quidem sed inutilem habet sub hâc significatione comprehendenda viduaque dicenda? Affirmat *hoc Gloss. in l. 16. in verbo. orbitates. C. ad L. Flav. de Plag. arg. c. 2. vers. Sed neque istud. x. de translat. Episcop.* Contrarium tamen verius esse puto, quoniam vidua non ideo quod usu thori, destituta, sed quia societate illa duali orbata est, dicitur *d. l. 242. §. viduam,* si vero inutilitas mariti eò se extendat, ut nec consilio, ope, aut alio modo imbecillitati sexûs foemini assistere, uxoremque plane defendere non possit, tum inter viduas numerandas privilegiumque illarum ipsis dandum esse puto. *vid. Brunneinan. ad L. un. C. quand. Imp. int. pupill. vel vid.*
- 12 Vidua autem strictè dicta est quæ aliquando nupta fuit sed virum amisit, permanetque à viro separata *C. Viduam. C. Presbyteri. §. Vidua vero. dist. 35. add. tot. tit. C. de ind. viduit. opponiturque virgini l. 6. §. 1. ad L. Iul. de Adult. §. item Lex Iulia. 4. Inst. de Publ. Ind. & hanc acceptionem communissimam & usu approbatam esse dicit Gail. 1. obs. 1. n. 42. Pac. Anal. Cod. 3. tit. 14. n. 2. Richt. auth. cui relictum.*

relictum. C. de indictâ viduit. n. 10. Mart. de Jurisd. p. 4. cent. 1. cas. 81. n. 4. De viduis igitur hoc posteriori modo acceptis, quædam quantum ingenii vires & modus conscribendæ disputationis permittit, dicere placet.

C A P. II.

De Viduarum dotis repetitione.

Absolutâ feliciter tum explicatione nominis, tum ipsius rei definitione, nunc rem ipsam aggredior, primumque, quod leges mulieri, postquam assistentiâ maritali ac defensione orbata est, jus scilicet singulare circa repetitionem dotis constitutum, dederunt, arripio. In repetitione igitur dotis ante omnia videndum quid in pactis dotalibus dispositum, & si talia intervenerint, ea servanda modo non sint contra bonos mores, *l. 5. & 6. de pact. dot.* vel contra naturam dotis *l. 4. de pact. dot.* aut indotatas reddant mulieres superstites, five aliàs dotis causam reddant in præjudicium mulieris deteriore. *vid. l. 2. l. 12. §. 1. l. 14. & seq. de pact. dotal. l. 3. & 5. C. eod. add. Hahn. ad Vvesenb. lib. 24. tit. 3. n. 3. Zoës. lib. 24. tit. 4. n. 1. Christen. de caus. matr. diss. 4. §. 13. n. 7.* Si in his nihil expressum, jus statutarium, quid de dote disposuerit videndum, si nec in hoc aliquid decisum reperiat ad jus commune recurrendum. *Hahn. l. c. Struv. Ex. 30. th. 48.* Et quidem hoc Jure Dominium dotis tam rerum mobilium quàm immobilium tam æstimatarum quàm inæstimatarum, si modo existant, protenus sine ullâ traditione, rectâ viâ ad relictam viduam, potestate agendi præditam *l. un. §. 6. 7. 13. & 14. C. de R. V. act.*, reedit. *arg. l. 30. C. de jure dot. junct. l. 23. ff. de R. V.* daturque statim Viduæ post mortem mariti rei vindicatio directa pro rebus inæstimatis, utilis pro æstimatis in subsidium, quando maritus non est solvendo

solvendo *Struv. d. Ex. th. 48. Brunnem. in l. 30. C. de jur. dot.*
 & quidem hisce actionibus res dotales à quocunq̄e posses-
 fore avocant *d. l. 30.* Executio verò rerum mobilium non nisi
 intra annum, rerum immobilium statim fit *d. l. un. §. 7. Si-*
chard. ad l. in rebus 30. C. de jur. dot. n. 2. 4. 6. Brunne-
man. ad l. 30. Struv. d. Ex. th. 47. Hahn. ad VVesenbec. l. 24. tit. 3.
 3 *n. 2.* Pro rebus consumptis in dotem datis olim viduæ post
 mortem mariti rei uxoria actio (*res uxoria idem erat quod*
dos) de cujus naturâ & indole *vide l. un. C. de Rei. uxor. act.*
ibique DD. hæc cum omni jure suo à Justiniano in actionem
 exstipulatu (*sic dictam quamvis stipulatio reverà non inter-*
venerit, sed quod lex eam interventam fingat atq̄ presumat)
 transfusa est *vid. d. l. un. pr. C. d. t. junct. §. fuerat. Inst. de*
 4 *act.* eique sequentia præcipuè assignata privilegia. (1.) Ut
 stipulatio fingatur intervenisse licet non intervenerit, aut qui-
 dem intervenerit sed inutilis est. V. g. si extraneus pro uxo-
 re stipulatus *d. l. un. §. 1. junct. §. alteri. 18. Inst. de inutil. sti-*
pul. Extraneus vero si dotem dederit in hujus personâ stipu-
 latio non suppletur, nec intervenisse fingitur. *d. l. un. §. 13. (2.)*
 Ut sit bonæf. *§. sed etsi. Inst. de action. §. fuerat. eod. d. l. un.*
§. 2. (3.) Ut habeat adjunctum jus tacitæ hypothecæ in bo-
 nis mariti *d. l. un. §. 1. Pac. anal. Cod. lib. 5. tit. 3. n. 3. & 4.*
Brunnem. ad pr. d. l. un. Goden. Conf. 99. n. 2. 6. 7. & 8. Conf.
 5 *100. n. 2. Struv. d. Ex. 30. th. 48.* Datur vero hæc actio exsti-
 pulatu si dos consistat in re mobili contra hæredes viri post
 annum demũ soluti matrimonii *d. l. un. §. 7. l. 2. ff. solut. matr.*
 & quidem olim per actionem rei uxoriæ exactio earum rerum,
 quæ pondere numero & mensurâ constabant, non statim fie-
 bat, sed annuâ, bimâ, trimâ die, id est per tres distinctas an-
 nuas pensiones, & quidem ultimâ die singulorum annorum,
 una tertia pars debebat exequi *d. l. un. §. 7. ibique Brunnem.*
& alii. quod si interim non habeat unde vivat vidua ali de-
 bet

bet ex bonis defuncti mariti *Dn. Struv. Ex. 30. th. 51. Brunne-*
man. ad. d. l. un. §. 7. pr. n. 3. & 4. Pac. anal. Cod. 5. tit. 13. n. 8.
God. Conf. 99. n. 9. & 10. Coler. Proceß. Execut. p. 1. c. 10. n. 94.
95. Fachin. contr. jur. 101. Neguf. de pign. p. 3. m. 2. n. 17. Si ve- 6
 ro consistat in re immobili statim postquam matrimonium
 solutum hæc actio institui potest. *d. l. un. §. 7. ibique DD.* Non
 solum autem consequitur hæc actione Vidua ipsam rem do-
 talem sed & fructus post mortem mariti ab hæredibus per-
 ceptos, & quidem rerum immobilium inæstimatarum fru-
 ctus statim post mortem sui mariti cum ipsa re, deductis prius
 ab hæredibus, pro ratâ parte anni, defuncto debiti fructibus,
 ultimi enim anni fructus quo matrimonium solvitur, pro ra-
 ta parte anni, sunt dividendi inter viduam & hæredes ma-
 riti, (e. g. *si fructus anni sint centum, & quartam partem an-*
ni maritus supervixit, fructuum pars quarta, scilicet 25., hære-
dibus mariti cedunt, tres tertia vero vidua restituenda erunt)
 hac actione exstipulatu repetet *l. 5. l. 6. II. 31. §. fin. solut. ma-*
trim. l. 78. §. 2. l. 7. §. 1. de iur. dot. Zoël. lib. 24. tit. 3. n. 16. 17.
Wissenbach. Disp. ff. 48. n. 20. Struv. Ex. 30. th. 52. Lauterb.
Comp. Iur. Civil. lib. 24. tit. 3. lit. O. Brunnem. ad d. l. un. §.
7. pr. & n. 4. Rerum vero mobilium inæstimatarum sed ta- 7
 men fructiferarum, ut pecorum fructus, mercedes locatio-
 nis, jumentorum aut servorum & similibus perceptos fructus
 post annum soluti matrimonii restituent hæredes. *l. un. §. 7.*
d. t. Struv. Ex. d. th. 51. & 52. Brunnem. & DD. ad d. l. un.
 fructus enim post id tempus percepti augent dotem & sunt
 quodammodo dos censendi *l. si maritus 31. §. fin. solut. matr.*
 ibique *Zaf. n. 9. Brunneman. ad l. etiamsi. 8. C. de jure dot.*
Neguf. de Pign. p. 2. m. 4. n. 46. Si vero pecunia vel res æsti-
 mata (æstimatione factâ non solum taxationis sed venditio-
 nis gratiâ) in dotem data, eæque post annum, vel terminum
 pacto constitutum non restituantur, sed mora committatur,

B

hæredes

hæredes à tempore moræ usuras trientales, ceu tertiam partem centesimæ, id est quatuor pro centum, viduæ præstare tenentur *d. l. un. §. 7. add. l. mora. §. in bonaf. ff. de usur. junct. d. l. un. §. sed & si. 2.* in concursu vero creditorum dotalis pecuniæ usuræ statim à die soluti matrimonii computantur. *Brunnem. ad d. l. un. §. 7. n. 4.* Singulare prætereà in hac actione Constitutum, ut Edictum de altero tanto, quod alias in rei uxoriâ actione obtinebat, cessaret, cumque eâ actione abrogatum esset. Hoc autem Edicto constitutum erat, ut mulier cui legatum vel fideicommissum relictum esset, ex alterutro legato vel fideicommissò, aut dote scilicet, unum eligeret, quod sibi maxime utile censeret, nec poterat vi hujus Edicti si dotem petiisset, legatum consequi; durum itaque hoc Imperatori visum, præcipuè cum is qui voluit liberalitatem exercere, dotis debitum extinguere voluisse, non sit præsumendum, ideoquè extirpatâ antiquâ actione rei uxoriæ & hoc ipsum aboleri actionique extipulatu hoc dare voluit, ut obtento legato vel fideicommissò, nihilominus dos peti possit, nisi testator eam altero tanto contentam esse voluerit *l. un. §. 3. C. de Rei uxor. act. ibique Brunneman.*

9 Similiter si à marito hæres instituta sit, prius dotem tanquam æs alienum deducet, deinde quartam falcidiam ex reliquis bonis detrahet, sicque utrumque & dotem & falcidiam consequetur. *l. si. l. 78. §. maritus. ad SC. Trebell.* Porrò speciale est huic actioni ratione expensarum, quod licet aliæ res pro expensis retineri *l. 15. §. 2. de furt. l. 13. §. 8. ff. de Act. Empt.* Ea tamen retentio repetitioni dotis opponi non possit *d. l. un. §. 5.*, quamvis compensatio admittatur, si in quantitibus dos consistat, quia aliud est retentio aliud compensatio *l. 7. §. 5. solut. matr. Brunnem. ad d. l. un. §. 5. Zas. ad d. l. 7. §. 5. solut. matr. n. 6.* Excipiuntur impensæ necessariæ in fundum dotalem factæ quæ dotem ipso jure minuunt, *qua diminutio*

non ita accipienda erit ut ait Ulpianus in l. 5. princ. de Imp. in rem dot. quasi ipsa res corporaliter diminuatur, ut puta fundus vel quodcunque aliud corpus: Etenim absurdum est, diminutionem corporis fieri propter pecuniam, sed hæ Impensæ facient fundum desinere dotalem esse, vel partem ejus, scil. pro in diviso. Non autem fundus dotalis propterea fit mariti, sed manet in ejus detentione, donec ipsi solvantur Impensæ, quæ ipso jure dotis quantitatem minuerunt d. l. un. §. 5. d. l. 5. pr. l. 56. §. 3. de jur. dot. diminutio enim quæ fit ipso jure etiam retentio est §. item si de dote 39. Inst. de act. l. Servus. 30. de act. Empt. add. Struv. Ex. 30. th. 60. Wissenb. D. 49. th. 2. Utiles impensæ olim opposita exceptione doli 10 mali retineri poterant, retentio autem ipso jure non fiebat l. 5. de dot. preleg. l. 7. §. 1. junct. l. 5. §. fin. de imp. in rem dot. d. l. un. §. 5. Struv. Ex. 30. th. 61. junct. Exerc. 31. th. 32. Wissenb. D. 49. th. 2. Jure Novo res dotalis ob impensas utiles retineri non potest, sed illæ si voluntate mulieris factæ actione mandati, voluntate mulieris non interveniente, sed tamen non dissentiente aut prohibente l. f. C. de neg. gest. negotiorum gestorum actione sunt repetendæ l. un. §. 5. d. r. Struv. d. l. Wissenb. disp. dict. th. 3. Voluptuarias, modò fiat sine læsione rei, deducit d. l. un. §. 5. in fin. Datur hæc actio 11 hæredibus & in hæredes d. l. un. §. 4. Est enim personalis rei persecutoria ex contractu vero, si verus intervenerit, vel ficto à lege introducto, quæ non minus hæredibus & adversus hæredes dari debet quam si ex vero contractu esset, fictio enim in casibus fictis idem operatur quod veritas Struv. Ex. 28. th. 20. actio autem rei persecutoria hæredibus & adversus hæredes dari patet ex l. 157. §. f. de R. I. §. 1. Inst. de perpet. & temp. act. l. 2. C. de hered. act. Struv. Ex. 46. th. 79. junct. th. 82. & 69. Dicta de dotis restitutione Patiuntur 12 certis casibus exceptionem. Primò Vidua à liberis ex com-

muni matrimonio natis, & paternorum bonorum hæredibus existentibus non totam dotem sed tantum quantum facere possint, repetit *l. 18. ff. solut. matr.* Struv. *Exerc. 30. thes. 54.* Lauterbach. *Comp. Iur. Civ. l. 24. tit. 3. lit. q.* Zoëf. *l. 24. tit. 3. num. 25.* dicuntur autem facere non posse, si post restitutam dotem salva dignitate & statu suo non haberent, unde se alerent, consideranda enim inopia respectu qualitatis personarum citra pompam. Quare si conditio eorum ferat, ut manuum operis victum quærere & sibi sufficienter providere possint, dotem non retinebunt, cum non videatur inops, qui alimenta sibi necessaria acquirere potest Zoëf. *d. l. num. 20.* Non gaudent autem Beneficio competentiae liberi, si vidua repetens dotem sit inops atque egena, durum enim esset, alium propriam re suam sublevare & ipse egere *arg. l. 6. C. de servit. add. l. 41. §. 1. de R. I.* Notandum tamen hic quod beneficio competentiae fruiturus cautionem præstare debeat, si ad pinguiorem fortunam pervenerit, aut tantum acquisiverit, ut se sustentare possit, se dotem restitutum *d. l. un. §. 7.* Secundò dos non potest repeti, si res inæstimata in dotem data, casu citra culpam etiam levem mariti perierit *l. 26. l. 49. ff. solut. matr. Exceptio est in l. 42. sol. matr.* Zoëf. *d. l. n. 10.* Struv. *Ex. d. th. 53.* Tertiò si maritus nullam receperit dotem. Zoëf. *d. l. n. 31.* ad quam numerationem probandam scripta à marito emissa cautio sub spe numerationis futuræ, non sufficit, sed mulier eam reverà numeratam & illatam esse probare debet, nisi tempus opponendæ Exceptionis non numeratæ dotis privilegiatæ effluxerit, quod tempus Jure Codicis erat annus continuus sed novissime Justinianus constituit, ut matrimonio intra biennium soluto, exceptio spatium unius anni opponeretur, si vero ultra biennium usque ad decennium stetisset matrimonium, tribus mensibus, decennio verò præterlapso plane non daretur locus huic
Exceptio-

Exceptioni, nisi opposcentes haberent beneficium restituti-
 nis *Nov. 100. c. 2. auth. quod locum. C. de dot. caut. non. num.*
 ibique Richter. *num. 9. & 10.* Postquam autem hoc tempus 15
 effluxum est, hæredes mariti opposcentes Exceptionem non
 numeratæ pecuniæ probare debent, dotem non esse nume-
 ratam Richt. *d. l. n. 9. & seqq. n. 28. & seqq.* Struv. *Ex. 30. th.*
56. Ex. 16. th. 47. Lauterb. *Comp. I. C. l. 12. tit. 1. l. 2. p. m. 273.*
Pac. Anal. Cod. 5. t. 15. n. 3. Brunneman. *ad d. auth.* nisi ista
 confessio juramento confirmata fuerit, tum enim hæredes
 ad restitutionem dotis tenebuntur, nec dictam Exceptio-
 nem opponere poterunt. Struv. *d. Exerc. th. 55.* Beckmann.
Comment. ad ff. Ex. 7. n. 6. Quartò cessat repetitio dotis, si
 de adulterio convicta & condemnata fuerit mulier *l. 8. C. de*
repud. l. ult. C. ad L. Jul. de adult. Zoëf. l. 24. tit. 3. num. 35.
Wis. Diss. 48. th. 24. Quintò si sine dolo aut culpa mariti res
 dotalis evicta est. *L. Mævia 49. pr. & §. 1. ff. solut. matr.* Chri-
 sten. *de caus. matr. d. §. n. 4.* Excusis hac actione hæredi- 16
 bus mariti (*quod ante omnia fieri debet L. Moschis 47. pr. ff.*
de Iur. Fisc. l. hæredem. 3. C. de act. ibique Brunneman. auth.
hoc si debitor. C. de pign. ibique Richt. n. 4. 5. Struv. *Ex. 26.*
th. 38.) si vidua dotem suam ab iis consecuta non fuerit, da-
 tur ipsi pro consequendâ eâ sive æstimatò sive inæstimatò da-
 ta fuerit Sich. *ad l. in rebus 30. C. de jur. dot. n. 4.* actio hy-
 pothecaria contra quosvis rerum mariti vel ejus, qui nomine
 mariti dotem suscepit, possessores, propter tacitam hypothe-
 cam, quam habet mulier in bonis eorum tam præsentibus,
 quæ existabant tempore solutæ dotis, quam etiam postea ac-
 quisitis *l. un. §. 1. C. de Rei ux. act. arg. l. Hac Edictali. §. omni-*
bus. C. de secund. nupt. God. Conf. 100. n. 3. Mediante hâc hy-
 pothecâ præfertur (i.) omnibus creditoribus viri personalem
 actionem, etiam personali privilegio circumvallatam, ha-
 bentibus *l. assiduis 12. C. de pign. ibique Brunnem. God. Conf.*

100. n. 2. (2.) Omnibus creditoribus viri tacitam & priorem hypothecam habentibus Richt. *ad auth. quod locum. C. de collat. n. 11.* Covar. *var. resol. l. 1. c. 7. n. 1.* (3.) Omnibus creditoribus Expressam habentibus, sed posteriorem tacitâ hypothecâ viduæ, Covar. *d. l. n. 1.* Negus. *de Pign. p. 2. m. 4. n. 98.*

17 An autem præferatur Creditoribus Expressam anteriorem habentibus non satis convenit inter DD. quidam affirmativam quidam negativam defendunt, mihi affirmativam Juri Civili & Legibus magis conformem esse persuasum habeo. (1.) Ob generalitatem textus *in l. assiduis. §. 1. C. qui pot. in pign. & Nov. 109. c. 1.* ubi Imperator indistincte contra omnes mariti creditores etiam anteriores jus prælationis concedit ipsi, cujus generalitas non bene ad tacitam priorem hypothecam, præcipuè cum nulla alia lex ullum vestigium hujus restrictionis demonstrat, solummodo restringitur, præcipuè cum taciti & expressi idem sit judicium *arg. l. cum quid. ff. de reb. cred.* (2.) Propter textum *in Nov. 97. c. 3. junct. auth. quo jure. C. qui pot. in pign.* ubi mulier præfertur illis creditoribus anterioribus, quorum pecuniis res quædam empta vel reparata, sed hi in re istâ præferuntur etiam creditoribus anteriorem hypothecam habentibus *d. Nov. junct. l. 7. C. qui pot. in pign.* multò ergo magis mulier, qui enim vincens te, vincit, vincit & te *l. de accessionibus 14. §. etsi. 3. in f. de divers. & temporal. præscript.* (3.) Per textum *in d. Nov. 97. c. 4.* ubi solummodo postponitur ei, qui ad militiam emendam credidit, & in instrumento per testium subscriptionem firmato expresse sibi de hypotheca prospexit, aliis autem omnibus anteponi Imperator *in d. Nov.* voluit, adeoque hic obtinet regula: Exceptio in casibus non Exceptis firmat regulam, præcipuè si post subjectam exceptionem addatur quod in aliis regula (*ut in casu nostro*) tenere debeat. Denique (4.) per textum *non inelegantem in l. satis notum. 4. C. in quib.*

quib. caus. pign. vel hyp. ubi fiscus in causis primipularibus prius universas viri facultates excutere, & omnibus creditoribus viri, etiam expressam anteriorem habentibus præferri debet, quam ad dotem mulieris perveniat; si autem hoc in casu doti mulieris parcitur, & prius aliorum creditorum etiam expressam anteriorem habentium jura prius excutiuntur, utique mulier potius jus reliquis creditoribus, expressam anteriorem habentibus, habebit, semper enim is, qui habet jus debilius, prius debet excuti, deinde is qui habet jus fortius. Et hanc sententiam defendunt Zoëf. l. 20. t. 4. n. 17. 18. & seqq. Richt. ad Auth. quo jure. C. qui pot. in pign. n. 9. Fachin. Contr. Jur. l. 3. c. 99. Pac. Anal. Cod. 8. t. 17. n. 13. Hahn. ad Wesenb. lib. 42. t. 6. n. 4. Perez. in Cod. l. 8. t. 18. num. 22. Berlich. p. 1. concl. 65. num. 5. & 6. Dissent. Gloss. in l. assiduis. verb. licet anteriores sint. C. qui pot. in pign. Col. Proc. execut. p. 1. c. 2. n. 219. Richt. de privil. cred. c. 3. sect. 1. n. 7. & seqq. Struv. Ex. 44. th. 45. Negul. de Pign. p. 2. m. 4. n. 98. Covar. var. resol. l. 1. c. 7. n. 1. Gail. 1. Obs. 25. n. 10. & seq. & hanc dissentientium opinionem in praxi receptam esse præter allegatos attestatur Scheplitz ad Consuet. Brand. p. 3. tit. 2. q. 1. n. 2. 3. & seq. Richt. ad d. Auth. n. 13. Quamvis Brunnem. in d. l. assiduis. C. qui pot. in pign. priorem sententiam in Marchiâ Electorali Brand. receptam esse asserit. Dictum autem privilegium prælationis minimè obtinet contra debitores, cum quibus mulier ipsa contraxit, vel cum quibus maritus muliere legitimè consentiente & privilegio suo renuntiante contraxit Struv. Ex. 44. th. 47. Prætereà privilegium istud cessat in vidua, quæ una cum viro mercaturam, communem negotiationem aut cauponariam exercuit Struv. Ex. 21. th. 12. Ex. 44. th. 49. Vidua enim tali casu jure societatis tanquam correa debendi conveniri potest, quoniam hoc casu vidua lucrum & commodum ex negotiatione percepit adeoque

que pecunia in ejus utilitatem versa esse censetur. *Auth. si qua mulier. C. ad SC. Vellej. l. 10. de R. I. Gail. 2. Obs. 9. n. 5.* Porro si mulier ante matrimonium plane scivisset viri conditionem, nimirum eum planè inopem & obæratum esse *arg. l. 203. & 145. de R. I. Struv. Ex. 44. th. 47.* & quoniam ignorantia præsumitur, ideoque scientiam allegans eam probare debet *Gail. 2. O. 84. n. 8.* Denique non extendendum ad bona paraphernalia, quàmvis in his quoque jure tacitæ hypothecæ gaudet, non tamen jure prælationis *l. 29. C. de jur. dot. l. f. in f. C. de pact. convent. God. cons. 100. n. 6. 7. 8. Richt. in Auth. quod locum. C. de collat. n. 12. 13. Brunnem. ad l. 8. n. 4. de pact. conv. Zang. de Except. p. 3. c. 11. n. 45. Neguf. de pign. p. 2. m. 4. n. 63. Struv. Ex. 44. th. 47.* Nec quoque dictum privilegium prælationis locum habet in donatione propter nuptias, quam fecit maritus uxori in recompensationem dotis *God. cons. 99. n. 15.* quamvis quoque jure tacitæ hypothecæ gaudet *God. d. l. Neguf. p. 2. m. 4. n. 64.* Nisi mulier ad donationem propter nuptias consequendam tanquam sibi specialiter & tacite obligatam pro dote, ageret, tum enim præter jus hypothecæ habebit quoque jus prælationis, secus si ageret ad eam consequendam ut sibi donatam à viro in recompensationem dotis, tum enim licet jus tacitæ hypothecæ habeat, non tamen gaudebit jure prælationis. *Neguf. p. 2. m. 4. n. 65. God. Cons. 99. n. 19. & 20. Cons. 100. n. 8. Covar. var. resol. l. 1. c. 7. n. 1.* Requiritur autem, si vidua dicto jure uti velit, ut probet dotem verè numeratam esse, nec nuda confessio mariti sufficit *l. 12. §. 1. C. qui pot. in pign. Mudæus de pign. tit. de pign. & hyp. solv. n. 98. p. m. 327. Richt. ad Auth. quod locum. C. de dot. caut. non num. n. 20. Brunneman. ad d. l. assiduis. Struv. d. Ex. thes. 47. Gail. 2. Obs. 81. n. 2.* nisi ex solâ litterali cautione & confessione agant cæteri Creditores, tum enim vidua in pari conditione constituta, creditoribus ob favorem dotis

dotis præfertur *arg. l. 70. ff. de jur. dot. & l. 1. ff. sol. matrim.*
 Struv. *l. c. Richt. de jur. & privil. credit. c. 3. sect. 1. n. 31.* Ob 22
 metum autem fraudis commissæ juramentum suppletorium
 viduæ sæpè injungi solet. Brunnem. *ad d. l. assiduis, plures*
exceptiones vid. apud cit. Auth. præprimis apud Richt. d. sect.
1. c. 3. n. 31. & seqq. Transmittitur hoc privilegium ad liberos
 non ad hæredes alios *l. un. C. de Privil. dot. l. 12. §. 1. C. qui*
pot. in pign. Jus autem tacitæ hypothecæ, ut quod non prin-
 cipaliter mulieri, sed actioni pro dote competit *l. un. §. 1. C.*
de R. U. A. transit in quemlibet hæredem *d. l. un. §. 1. & 6.*
Negul. d. l. p. 2. m. 4. n. 30. 31. & seq.

C A P U T III.

De Viduarum successione ab intestato.

EXposito jure, quo circa repetitionem dotis gaudent vi-
 duæ, nunc videndum an aliquo jure ad successionem in
 bona defuncti mariti venire possint. Et jure quidem Civili 1
 planè viduæ à Defuncti Conjugis successione arcebantur, &
 si nulli parentes, liberi, vel agnati adessent, Fiscus Hæredi-
 tatem tanquam bona vacantia, ad se trahebat, *l. 4. C. de bo-*
nis vacantibus. Ludw. *Ex. Inst. 10. th. 5. lit. B.* quod cum du-
 rum esse Prætori visum fuit, & nihil æquius esse, quàm ut
 ii, inter quos omnis vitæ consortium, & Divini & humani
 juris communicatio est *l. 1. de R. N.* quique multa infinitaque
 onera matrimonii sustinent *l. si dotem. §. si maritus. ff. soluto*
matrimonio; si alii proximiores non adsint, excluso fisco in-
 vicem ad successionem mutuam admitterentur; Hinc Præ- 2
 tor conjugem ad Hæreditatem Defuncti conjugis vocabat
 ex Edicto *unde uxor* eique bonorum possessionem deficien-
 tibus Agnatis & Cognatis Fisco excluso dabat *l. un. unde vir*
& uxor. & tot. tit. C. eod. Non autem Prætor eos efficiebat
 C Hæredes

Hæredes quos facere non poterat, sed loco hæredum, eos bonorum possessores faciebat *l. 2. de bon. poss. princ. Inst. cod.* adde Struv. *Ex. 37. th. 2. & 79.* ut autem hæc successio locum habeat, præterea necessè est ut matrimonium sit justum & legitimum secundùm Legum Canonumque præscriptum inter eos contractum, initumque, *l. un. ff. unde vir & uxor.* veluti quòd consensus parentum accesserit, quòd talis non fuit persona, cum quâ matrimonium inire fuit prohibitum. *§. si adversus ea. Inst. de Nupt. junct. l. qui contra. C. de incest.*

3 *Nuptiis.* Nisi justâ ignorantia uterque lapsus sit. *l. qui contra. C. de incest. Nupt.* Secundò, eos in matrimonio permanfisse usque ad mortem. *d. l. un.* Tertiò, secundas Nuptias intra annum non appetiisse *l. 1. & 2. C. de secund. Nupt.* Quæ præterea successio ab Imperatoribus in *l. un. C. unde vir. & uxor.* approbata, quod jus succedendi postmodum jure Novellarum auctum, & ab Imperatore Justiniano Constitutum, ut si Matrimonium esset sine dote aut donatione propter Nuptias, & vidua relicta esset inops ac paupertate laboraret, maritus autem defunctus locuples, sive exstent liberi ex eodem, sive ex priori matrimonio, vidua relicta si tres vel pauciores essent succederet in quartam partem totius mariti substantiæ. Quòd si plures essent, in virilem portionem succederet, hoc est ut tota hæreditas pro numero liberorum & uxoris in quotas partes divideretur, adeoque vidua tantum acciperet quantum unusquisque filiorum. *Nov. 117. c. 5. Auth.*

4 *Præterea. C. unde vir & uxor.* tenetur verò uxor proprietatem ejusdem matrimonii liberis reservare, adeò ut si moriatur, plena proprietas ad liberos perveniat, & vice versâ si liberi ante eam moriantur, ad ipsam plena proprietas devolvatur. *d. Auth. & Nov. 117.* Struv. *Ex. 38. th. 38.* Ludvvel. *Ex. Inst. 10. th. 5. lit. B.* Fachin. *Contr. Jur. l. 10. c. 72.* nullis exstantibus liberis quartam, vel virilem partem proprietatis pro

pro numero cognatorum cum quo concurrit consequitur,
 Brunnem. *ad d. l. un. & Auth. praterea. C. unde vir & uxor.*
 Struv. *d. l.* Ut autem hæc Imperatoria Constitutio locum ha- 5
 beat, requiritur (1.) Ut Matrimonium sit justum *d. l. un. ff. unde*
vir & ux. Richt. *ad d. Auth. Praterea. n. 10.* (2.) Ut uxor
 nullam dotem vel donationem propter Nuptias *d. Nov. 117.*
& Auth. Praterea. d. l. aut exiguam prorsus habuerit. Struv.
d. Ex. 38. th. 48. Brunnem. *d. l.* (3.) Ut maritus decedens
 amplam relinquat hæreditatem *d. Nov.* Struv. *d. l.* Richt. *ad*
d. Auth. n. 17. (4.) Ut vidua nisi succederet, paupertate &
 inopiâ premeretur. *d. Auth. & Nov. Ludvv. ex Inst. 10. th. 5.*
lit. B. Ratio hujus Constitutionis consistit in eo, quod ini-
 quum esse videatur, uxorem quæ tam multa & infinita ma-
 trimonii onera pertulit, tot devota marito obsequia præsti-
 tit, tot partus pericula subiit, ut ait Imperator *l. 12. §. 1. C. qui*
potiores in pign. eam inquam omni prorsus commodo care-
 re, & omnibus bonis nudatam & exutam ad summam pau-
 pertatem, stipemque ostiatim colligendam redigi. Turpe
 quoque, & marito sat ignominiosum esset, viduam ejus quæ
 cum ipso in abundantia vixerat, tanquam vilem & abjectam
 personam circumvagari, præsertim cum fœminæ in viduitate
 existentes, nomine defuncti mariti, dignitate & ejus nobi-
 litate clarescant. *l. 13. C. de Dign. l. 9. C. de Nupt.* Diximus 6
 supra, quod si vidua concurrat cum liberis eam pro numero
 liberorum vel quartam, vel portionem virilem accipere,
 hinc quæritur, si adsint duo liberi, & ex uno defuncto tres
 nepotes, num vidua habeat quartam, an verò portionem
 virilem? Eam quartam accipere puto, nepotes enim illi jure
 representationis veniunt in locum Patris, adeoque tantum
 unam, quam pater ipsorum habiturus fuisset consequuntur
 partem. §. *Cum filius 6. Inst. de hered. qui ab intest.* Forst. *de*
Sucess. lib. 9. c. 4. n. 5. Pertinet quoque hæc Constitutio ad

C 2

sponsam

sponsam de præsentī, non verò futuram *arg. l. 30. ff. de Reg. Jur. Gail. 2. Obs. 80. n. 5. Struv. d. Ex. 38. th. 38.* Sponsam verò de futuro fisco præferendam esse putat Ludvv. *ex Inst. 10. th. 5. lit. A.* Exiguam dotem habens præcipuè si sit tam parva, ut ex eâ subsistere non possit, nihilominus quarta debetur, quia ignominia, quâ defunctus per mendicationem suæ viduæ afficeretur, hic non cessaret, debet tamen dos ista in quartam imputari & quantum quartæ deest compleri, *Struv. Exerc. d. th. 44. Richt. ad d. Auth. Præterea. n. 12. 13. & seqq.* si verò dotem quidem habuerit, sed ea sine culpâ mariti perierit, locus quoque est huic *Auth. Struv. d. l. si indotata* quidem sit, patrem verò habeat locupletem, hæc pro pau-
 7 pere habenda non est *arg. Nov. 53. c. 6. §. fin. Brunn. ad Auth. Præterea. C. unde vir. & uxor.* Hanc quartam viduæ per testamentum vel quamlibet aliam dispositionem auferre non potest, sed si maritus minus quartâ parte in testamento reliquisset, imò si supplere prohibuisset, posset nihilominus contra voluntatem viri, suppletionem quartæ partis totius hæreditatis, petere *d. Auth. Præterea. Struv. d. Ex. th. 47. Forst. d. l. c. 5. n. 1.* quarta autem, sive lege, sive consuetudine debita non potest auferri, *arg. C. 16. de testam. nec potest maritus in fraudem Conjugis quid alienare arg. l. 17. §. 1. qui in fraud. cred.* sed vidua vel uxor, ea, ad consequendam quartam suam, revocare potest, debetur enim ipsa ex necessitate etiam contra voluntatem ipsius, adeoque eâ nullatenus privanda est, *arg. d. C. Raynutius. 16. de test. ubicunque autem aliquid debetur ex necessitate contra voluntatem defuncti, non valet alienatio, toto tit. ff. & C. de inoff. testam. l. 1. si quid in fraud. patr.* accedit, quòd si uxor non possit revocare alienationem, ad paupertatem & stipem redigeretur, quod ne fieret, viduis quartam vel virilem ex bonis defuncti mariti capere permisit & constituit *d. Nov. 117. junct. Auth. Præterea.*

Præterea. C. unde vir. & uxor. Struv. d. l. Forst. d. c. 3. n. 1. & seqq. secus verò est, si necessitate aliquâ coacta illa ipsa bona alienasset; Necessitatis etiam tanta vis est, ut patri famis tempore filium vendere liceat. *l. 2. C. de patr. qui filium distr.* Quæritur si vidua indotata & egena, quæ nullam dotem habuit, secundas amplectatur Nuptias, non petita quarta ex bonis prioris locupletis mariti, num mortuo secundo viro, possit adhuc quartam à primi mariti locupletis hæredibus petere? eam quartam ab hæredibus primi mariti petere non posse, sed præsentem inopiam quarta vel virili, ex bonis secundi mariti sublevare & se illâ liberare debere, facile patebit. (1.) Mulier enim potuisset hanc quartam exigere, atque se ab omni inopia liberare, quod cum non fecit imputet sibi quod egestate atque inopiâ prematur, damnum enim quod quis suâ culpâ sentit, sentire non videtur. *l. 203. de R. I. junct. l. 174. eod.* (2.) Quia vidua secundo nubens memoriam prioris viri lædit, ejusque dignitatem perdit, & mariti secundi conditionem sequitur, adeoque amplius nihil ignominia, si postmodum ad inopiam & egestatem perveniat, in priorem maritum redundare potest, sicque hoc casu ratio hujus constitutionis cessat. Adde Forst. *de success. l. 9. c. 13. n. 12. & seqq.* dissentit Brunn. *ad d. Auth.* Quid si vidua dotem quidem habeat, sed ob auctam dignitatem ad alimentationem non sufficiat? Disting. utrum sufficiat ad necessariam alimentationem, & non erit locus d. Auth. licet non sufficiat ad ornatum & pompam: aut non sufficit, & erit locus huic Auth. Brunnem. *ad d. l. un. & Auth. Præterea. C. unde vir. & ux.* dissent. Forster. *l. 9. c. 14. n. 3.* Notandum denique quòd etiam mulieri debeat hæc quarta ex bonis ob crimen mariti confiscatis, non enim debet Fiscus melioris conditionis esse, quàm maritus à quo omne jus in eum transit Gail. *de pac. pub. l. 2. c. 16. n. 18.* Struv. *Exerc. d. th. 38.*

Forst. d. l. 9. & 15. n. 5. nisi condemnatio facta sit ob crimen læsæ Majestatis aut Hæreseos, arg. l. scripto. 6. ff. unde lib.

II Forst. d. l. n. 4. & 5. Porrò hîc quæritur vestes & ornamenta muliebria, quæ vidua tempore matrimonii gestavit, num mortuo ejus marito ipsi cedant? an verò hæredibus mariti sint restituenda? & quidem quod vestes & ornamenta muliebria (quæ jocalia vocari solent) quæ ipsa ad maritum attulit, attinet, nullum est dubium, quin ea, si non sint usu consumpta, ejus maneant, & ab hæredibus mariti ea peti possint, adeo ut si in utilitatem conversa sint, pretium restituendum veniat arg. l. 9. §. 3. de jure dot. Peck. de Test. Conj. l. 2. c. 15. n. 1. De iis autem quæ maritus stante matrimonio ipsi dedit majus dubium esse solet. Communiter tamen dist. inter vestes & ornamenta pretiosiora & quotidiana quæ ad usum quotidianum comparata sunt, & quidem vestimenta & jocalia ut annuli & similia, quæ maritus uxori ad usum quotidianum secundum personæ statusve conditionem dedit, retinet, licet maritus de suo dederit. arg. l. 81. §. 2. ad Leg. Falcid. l. 45. ff. de Legatis 3. tenetur enim vir alere uxorem l. si cum dotem. 22. §. sin autem. 8. ff. soluto matrimon. l. quod si nulla 28. de Relig. & sump. fun. sub alimentis autem vestes comprehenduntur. l. verbo victus 43. de V. S. l. Legatis 6. ff. de alim. & cib. leg. adeoque maritum non eo animo ut repetere eas vellet, sed ut mulier eas perpetuò tanquam donatas haberet, dedisse, præsumendum est. Gail. 2. Obs. 91. n. 1. 2. & 3. Joan. Camp. de Dote. p. 2. q. 55. n. 3. Peck. d. l. c. 14. n. 4. Si verò vestes & ornamenta à marito data sint pretiosiora, quæ ad ornatum saltem pertinent & festivis diebus splendori subserviunt: tum aut constat, quòd maritus solummodo ad usum, ut eò ornatus accedat ad Ecclesiam, concedere voluerit, & certum est eas ad hæredes mariti reverti debere, Camp. d. l. n. 3. aut verò constat, quod voluerit donare,

nare, etsi hæc donatio inter virum & uxorem constante matrimonio non consistat, *tot. tit. ff. & C. de Don. inter vir. & uxor.* quia tamen morte viri confirmatur *l. 25. C. de Donat.* penes viduam remanent *Gail. d. Obs. gr. n. 1.* aut verò neutrum constat, tum in casu isto dubio donata esse non præsumuntur, sed censetur maritus eas commodatò dedisse ut eo ornatus ut dictum ad Ecclesiam procederet, adeoque marito mortuo ad ejus Hæredes revertentur *Peck. d. l. num. 4. Camp. d. l. n. 3. Marcel. Cala. de modo art. c. 5. n. 1442. Gail. d. Obs. gr. num. 3. Menoch. Arb. Ind. 2. l. 2. cas. 218. n. 3.* nisi maritus certam pecuniæ summam pro vestienda uxore secundum dignitatem ejus acceperit. *Mev. ad Ius Lubec. T. 5. Art. 4. n. 51.* aut aliud Consuetudine Civitatis obtineat *Cala. d. l.* Quænam verò vestes sint pretiosiores judicis arbitrio relinquendum *Menoch. d. l. n. 5.* Judex verò bene ponderare debet, personarum qualitatem & conditionem, utrum vir qui dedit sit nobilis, Dives, magnam acceperit dotem, ex qua fructus exsuperant vestes donatas, & similia, sunt enim quædam ornamenta, quæ licet respectu aliorum sint pretiosa & festiva dicenda, tamen respectu hujus vel illius non sunt pretiosa & festiva sed quotidiana, ut sunt vestes sericæ, annuli, aureæ parvæ torquates, respectu mulierum opulentissimorum vel Principum & similibus. *vid. Cala. d. l. n. 1443. Mœnoch. d. l. n. 5.* Cæterum in successione conjugum, hodie primùm attendenda pacta dotalia, quibus si assignata quædam pars ex hæreditate, eâ contenta esse debet, *Christen. de Caus. Matr. dis. 4. q. 22.* Hinc quæritur an pacta de succedendo revocationi sint obnoxia? Disting. aut pactum de succedendo est conceptum verbis contractûs vel donationis inter vivos, dilato saltem tempore solutionis in diem mortis, & non potest pars unâ alterâ invitâ à pacto resilire & illud revocare, aut verò verbis ultimæ voluntatis conceptum

12

13

ptum est, & invitâ alterâ parte resilire licet. Christen. *Dist.*
d. 4. q. 21. Struv. *Ex. 30. th. 19.* Deinde singulares Constitu-
 tiones, Statuta & Mores loci inspiciendi sunt, d. Struv. *Ex.*
38. thes. 39.

C A P U T IV.

De Viduarum successione Testamentaria.

1 **Q**UAMVIS Legibus prohibita sint donationes inter virum
 & uxorem *l. 1. 2. 3. 9. §. ult. & seqq. ff. de donat. int. vir.*
& ux. adeo, ut si quid maritus uxori donaverit, ipsa dona-
 tio sit ipso jure nulla *l. 3. §. 10. d. t.* resque si existet vindicari,
 aut si consumpta, condici possit *l. 5. §. f. l. 6. 36. l. 33. §. 1. d. t.*
 Non tamen prohibitum est ei testamento vel aliâ quâvis ul-
 timâ voluntate aliquid relinquere, *arg. §. 4. Inst. de hered.*
qual. junct. l. 9. §. 2. l. 10. 11. §. f. l. 60. §. 1. l. 43. de donat. int. vir.
& ux. Sed idem quod in extraneis hæredibus instituendis ob-
 tinet quoque in vidua defuncti mariti, nisi specialiter ali-
 quid correctum, obtinebit: hinc vel pro parte vel in totum,
 modo tales non adsint, qui necessario sunt instituendi vel
 exhæredandi, institui potest à marito. Porro instituitur, vi-
 2 dua à defuncto marito vel purè, & ita statim post mortem
 ejus hæreditatem relictam declaratione animi de eâ suscipi-
 endâ, acquirit. *§. ult. Inst. de hered. qualit.* vel sub conditione,
 vel adjecto die, qui si certus sit pro non adjecto habetur *§. 9.*
Inst. de hered. inst. nemo enim potest, etiam ratione tem-
 poris, partim testatus, partim intestatus decedere *l. 7. de R. I.*
l. 88. de Hered. inst., incertus cujusmodi est Titius hæres esto
 cum Cajus moriatur, & talis est instar conditionis *l. 22. quand.*
dies. leg. ced. l. 75. de condit. & demonst. l. 62. de hered. inst.
 institutioni autem viduarum quævis conditio, sive sit pote-
 stativa, sive casualis, sive mixta, modo tamen non sit im-
 possibilis naturâ aut lege, adjecti potest. *§. 9. & 10. Inst. de hered.*
inst.

Inst. l. 32. l. 68. ff. eod. Diximus capite præcedenti maritum, viduæ quartam vel portionem virilem legibus ipsi constitutam adimere non posse, hinc quæritur num maritus possit uxorem in ista quarta sub conditione instituere? & disting. mihi videtur, aut conditio illa est potestativa, quæ facile impleri potest, & puto hanc conditionem adjectam valere, eamque implendam esse, *arg. l. 4. 86. de hered. inst. l. 15. 28. de condit. instit.* casualis verò vel mixta, præcipuè si non in plus quam in quartâ, lege sibi debitâ, instituta sit, pro non scripta habetur, eveniret enim si conditio ista non existeret ut vidua contra constitutionem *Nov. 117. c. 5.* privaretur quartâ, quam leges ipsi ex necessitate dari, & nullo modo illâ privari volunt, quæ conditio autem contra leges adjicitur ut impossibilis pro non adjecta habetur *l. 9. de cond. inst. junct. l. 15. cod. l. 20. de cond. & demonstr. add. §. 10. Inst. de hered. inst.* **3** Conditio verò hæc adjecta institutioni viduæ, si non nupserit, vel vidua manserit, num pro impossibili proque non adjectâ sit habenda, adeoque relictum spreto statu viduitatis adhuc debeatur? Olim in universum talis conditio rejicienda erat, relictumque purè, quasi conditione non adscriptâ peti poterat, ex *Lege Jul. Papiâ de maritandis ordin. cujus vestigia exstant in l. 62. l. 63. 64. 72. 74. 100. 106. & simil. ff. de cond. & demonstr.* Ratio hujus Constitutionis erat, quod talis conditio, quâ nuptiæ prohibebantur vergeret in detrimentum Reipublicæ, interest enim Reipubl. eam hominibus legitimè natis augeri *d. l. 64. de cond. & demonstr.*, quæ *Lex Papiâ Lege Juliâ miscellâ temperata*, constitutumque ut si intra annum juramento asseveraret, se non nisi liberorum procreandorum causâ, secundas nuptias appetere, tum illud, quod sub conditione viduitatis relictum erat, consequeretur, post annum verò non aliter ad relictum admittebatur quam si cautionem mutianam præstaret de restituendo

D

stituendo

stituendo relicto, si nupserint. Hanc autem Legem Miscellam Imper. Justin. planè sustulit, legemque Juliam Papiam denuò introduxit, sanxivitque, ut conditio viduitatis adjecta rejiceretur, & institutus licet ad secunda vota transeat, nihilominus relicto capiat. *l. 2. & 3. C. de indict. viduit.* Hanc tamen suam Constitutionem postmodum *in Nov. 22. c. 44.* de novo abrogavit, Legemque Miscellam pro parte restituit, constituens, ut conditio viduitatis omninò servaretur, nulloque modo ea remitteretur, nec impofterum, licet vidua intra annum Juramentum de animo sobolis procreandæ præstaret, non servatâ conditione viduitatis, admitteretur, sed necesse haberet, ut post annum, si relicto peteret (intra annum enim regulariter nisi conditio viduitatis fuit expleta, morte scilicet, vel sacerdotio quia tunc nulla spes nuptiarum supererat, petere non poterat *d. Nov. 22. c. 4. §. 1.*) iis, ad quos relicto deficiente conditione viduitatis pertineret, cautionem mutianam præstaret, se relicto, conditione non servatâ unâ cum fructibus mediæ temporis perceptis, restitutum *d. Nov. c. 44. §. 2. & 4.* eaque cautio pro re immobili juratoria cum hypothecâ bonorum suorum, pro re mobili, si persona esset idonea, eadem, sin secus fidejussoria modo fidejussor haberi poterat, esse debebat. *d. Nov. 22. c. 44. junct. auth. cui relicto. C. de indict. vid. add. Brunnem. ad tit. C. de ind. viduit. Richt. ad d. auth. cui relicto. Perez. ad d. tit. C. de ind. vid. n. 7. & 8. Peckius de testam. conjug. c. 24. n. 1. lib. 1.* Hanc autem dictam Novellam cum authent. ab usu recessisse & secundum *l. 2. & 3. C. de indicta viduitate judicandum esse,* asserit Groenevveg. *de LL. Abrog. ad l. 6. C. tit. 40. n. 6. & 7.* Vidua verò si contractum ante nuptialem, vel jus ex Consuetudine, vel Statuto, sibi quæsitum, plus emolumenti afferre putet, hæreditatem mariti defuncti liberè repudiare, jusque ex contractu vel statuto eligere potest,

test, nec maritus jus uxori quæsitum sine ejus factò adimere potest. *l. ii. de R. I. junct. l. 75. eod. & l. 81. de leg. 1.* Struv. *Ex. 38. th. 39.* add. Christin. *de caus. matr. diss. 4. q. 22.* E contra renuntiato jure contractus, vel statuti, hæreditatem ex testamento defuncti capere, nec hæres de contractu excipere potest, voluit enim defunctus ultra contractum antenuptialem majore aliquo emolumento eam locupletare. Peck. *de test. conjug. l. i. c. 32. n. 2.* Si verò renuntiato jure statutorio, vel contractus, testamentum factum reperiatu esse nullum, nihilominus ad id, quod jure statuti vel contractûs ipsi debetur venire potest, non enim vidua absolutè censetur renuntiare sed demum si relictum sibi, consequatur: renuntiatio autem quæ fit propter aliquid, donec id existat in suspensò est. *arg. l. 19. de Reb. Cred.* Quando autem vidua in Electione circumventa, si minor sit 25. annis, restituitur ex capite minorennitatis in integrum *l. i. §. i. l. 7. pr. l. ii. §. ex factò. de minorib.* si verò major regulariter non restituitur, semel enim hæres semper hæres *§. 5. Inst. de hered. qual. & def.* nisi magna & justa ad fuerit causa, ob quam hæreditatem repudiârit v. g. quod in probabili & justa fuerit ignorantia, testamentum in ejus emolumentum factum. *l. 97. de acquir. vel omitt. hered. junct. l. 2. ff. de Restit. in integr.* vel suasu & instinctu alicujus hæredis vel alterius renuntiavit *arg. l. 4. §. de opt. vel elect. legat.,* tum enim ex Edicto Prætoris, *si qua mihi alia justa causa esse videtur,* adversus hæredes, jுவatur. *l. i. §. i. in fin. ex quib. caus. maj.* Peck. *d. c. 32. num. 7.* Agnitâ autem semel voluntate defuncti, hæreditateque ex testamento susceptâ repudiare eam denuò non potest, & ad lucrum statutarium, vel ad emolumentum quod habet ex contractu venire. *§. 5. Inst. de hered. qual. & diff. l. 4. C. de repud. vel abstinend. hered. ibique Brunnem.* add. Struv. *Ex. 34. th. 33.* Nec restituenda erit, si absque inventarii legitimâ

D 2

confe-

confectione delatam sibi hæreditatem susceperit & ex eâ propter non confectum inventarium damnum acceperit. *arg. Nov. 1. c. 2. §. 2.* ubi Imperator generaliter constituit ut si quis non adhibito hoc remedio læsus sit, damnum sibi habeat, nec ipsi subveniatur, verba ejus hæc sunt. *Sed dabit pœnas exactio sue malignitatis, cur transcenderit leges, ex quibus cautè omnia agens, nihil potest damnificari;* Cumque inibi fœminarum nullam faciat mentionem, ab hâc constitutione meritò non excipimus, accedit quod fœminis propter errorem juris non succurratur *l. 8. ff. de juris & facti ignor.* nisi in casibus à jure expressis. *l. 11. & ult. Cod. eod. ibique Brunnem. add. Struv. Ex. 28. th. 66. Peck. de testam. conj. c. 34. n. 1. 2. & seqq.* Dictum hætenùs quomodò vidua instituta à marito defuncto, hæreditatem capiat, nunc videndum quomodò relicto in testamento privetur. Inter eas causas, ob quas vidua à successione testamentariâ repellitur, est. (1.) Si testatorem occiderit. *l. 10. C. de his quib. ut indign. junct. l. 10. §. 2. ff. solut. matr.* (2.) Si quidem non occidit sed tamen culpa ejus factum est ut maritus moreretur *l. 3. ff. de his quib. ut indign.* quò refer si medicum nullum adhibuerit, vel sciens imperitum, vel malum, adhibuerit *arg. l. quod si nolit. 31. §. Culpam. 12. de Ædilit. Edict. ibique Gloss. ad verbum adhibuerit. junct. l. 3. ff. de his quib. ut indign. ibique Gloss. verb. Indignum.* (3.) Si capitales inimicitia post testamentum factum cum defuncto exercuerit *l. 9. pr. ff. de his quib. ut indign.* cum tùm veresimile non sit præsertim si reconciliatio non intervenerit, testatorem ipsi aliquid relinquere voluisse, si tamen aliud appareat relicto petere poterit. *d. l. 9. pr.* (4.) Si cum potuerit defunctum captivum, liberare, eum non liberaverit. *Auth. si captivi. C. de Episc. & Cleric.* (5.) Si apertè defuncto conjungi maledixerit aut infaustas voces adversus eum jactaverit *l. 9. §. 1. ff. de his quib. ut indign.* (6.)

Si

Si vidua post factum testamentum divortium fecit *l. 3. & 2. de aur. & arg. ibique Gloss. ad verbum uxori*, voluntas enim tunc mutata esse censetur, *d. l. 3. add. l. 1. ff. unde vir. & uxor.* (7.) Si matrimonium fuerit illicitum. *l. 13. ff. de his quib. ut indign.* (8.) Si in fraudem legis fidem accommodaverit, seu tacite promiserit se incapaci partem restitutum *l. 10. & 23. ff. d. t.* (9.) Si maritum testari, vel prius testamentum factum mutare, vel illud non revocare coegerit *l. 1. pr.* (10.) Vidua à marito substituta filio, si ad secundas nuptias antequàm rationem tutelæ reddiderit & tutorem petierit, advolaverit, successione privatur *l. omnem. s. C. ad SC. Tertull.* (11.) Si annum luctus non servaverit. *l. 1. 2. C. de secund. nupt.* (12.) Vidua liberos habens proprietatem, retento tantum usufructu, perdit si ad secunda vota transit. *l. 3. C. d. t.* (13.) Si vidua facere, aut præstare aliquid à defuncto conjugè iusta, & à Judice admonita intrà annum ab admonitione Judicis computandum, voluntati defuncti satisfacere neglexerit, hæreditatem amittit, exceptâ parte sibi lege vel statuto debitâ, *Nov. 1. c. 1. junct. auth. hoc amplius. C. de fideicommiss. ibique Brunnem.* (14.) Vidua, conjugè occiso, si illud crimen non vindicaverit, jure civili ipsi ut indignæ eripitur hæreditas *l. 1. pr. l. 3. §. 17. l. 5. §. 2. ad SCtum Silian. l. ult. C. eod. ibique Brunnem. Struv. Ex. 34. th. 48. & seqq. Peck. l. 1. c. 48. n. 8.* quod tamen non obtinet, si ab alio in vindicatione, fortè à sorore vel fratre fuit præventa, & ipsa in morâ non exstitit. *l. Sororem. C. de his quib. ut indign.* Hodiè tamen propter non institutam accusationem, hæreditate quis non privatur, sed possunt Magistratui vindictam committere, *Brunnem. ad l. Sororem. Cod. d. t. Jul. Clar. lib. sent. 5. §. fin. q. 79. n. 8. p. m. 358. Peregr. de jure fisc. l. 2. tit. 5. n. 22. Struv. d. Exerc. thes. 50.*

10

D 3

CAPUT V.

De Legatis Viduis relictis.

- 1 **V**idua, cum testamenti factionem tam activam quam passivam habeat, ea, quæ aliis legatariis & ipsi nisi specialiter aliud constitutum, relinqui possunt, idemque jus quod in cæteris obtinet, quoque circa ejus personam observandum erit, hinc non prolixius in enarrandis iis, quæ communi legatorum naturæ conveniunt, ero, sed tantum circa conditiones, quæ communiter viduarum legatis adjici, & res quæ relinqui plerumque solent, quædam disquiram. Nihil autem communius in testamentis conjugum, quam legata cum indicatione viduitatis relictæ, videre licet, de quâ conditione adjectâ quid operetur dictum *Cap. Præced.*, hoc tantum circa eam disquirere super est: Num legatum sub conditione viduitatis relictum, debeatur viduæ ingredienti Monasterium? & Primâ quidem fronte negandum videtur, (1.) quod communi usu loquendi, cui se testator censetur conformare, & qui primum in interpretandis ultimis voluntatibus locum obtinere debet, illa dicatur vidua, quæ manet in hæreditariâ domo mariti, atque honestum matris familias nomen custodit, (2.) quod vitæ Monasticæ nomen viduæ non competat, cum talis desponsetur Deo, nomen, habitumque mutet, fiatque planè nova creatura, & hanc sententiam defendunt Petr. Duan. *Fall. Reg. Jur. Reg. 628. fall. 2. Mev. ad jus Lub. p. 2. art. 8. n. 84.* Raynald. *Corfus l. 2. indagat. jur. c. 23.* Contraria tamen magis vera mihi esse videtur, vidua enim dicitur, cujus maritus mortuus est *C. vidua. dist. 34.*, & permanet separata à viro, continentiamque in quâ consistit viduitas servat, sed quæ religionem ingreditur non nubit, sed continentiam servat, adeoque per ingressum Monasterii, viduitas servatur, conditioque impleta censetur,

setur, *Nov. 22. c. 44. §. 1. in fin.* relictumque Monasterio ac-
 quiritur. *auth. ingressi. ibique Gloss. C. de SS. Eccles.* hancque
 sententiam communem esse dicit Mart. *de jurisd. p. 4. cent.*
1. cas. 81. n. 4. 5. & seqq. ibique alleg. doct. Peck. de test. con-
jug. l. 1. c. 24. n. 1. in fin. ad argumenta contraria & quidem 4
 ad (1.) Responderi potest, quod communis usus loquendi
 non attendatur contra propriam verborum significationem
 & naturam, jura enim sapientum ut ait Bald. *in l. 2. Cod. de*
success. Edict. & in C. 1. de fens. non debent deturbari per
 ora rusticorum & idiotarum, nec in eorum sensum cadit ve-
 ritas, aut differentia vocabulorum ut testatur *gloss. in l. 6. ff.*
de test. tut. locutionesque tales Imperitorum non sunt pro-
 priæ, sed abusivæ dicendæ. *arg. 8. de suis & legit. hered.* Ad
 (2.) dici potest quod propter desponsationem spirituales
 quis non desinat esse vidua, cum viduitas consistat in absti-
 nentiâ concubitûs carnalis, clausulaque hæc adjecta maximè
 intelligenda de commixtione & nuptiis carnaliter insecutis. 5
 Notandum autem hic per conditionem hanc, *donec nupsarit,*
 legato adjectam non indici viduitate nec eâ, quæ de indictâ
 viduitate *in Nov. 22. c. 44. & Auth. cui relictum. C. de indict.*
vid. Sancita, ad hanc conditionem adjectam minimè ampli-
 canda, adeoque tale legatum non amittitur simpliciter,
 quantum ad tempus præteritum, sed tantum quoad futurum,
 adeoque fructus tempore medio percepti, non ut in legatis
 cui viduitatis indictio adjecta erat, *d. Nov. 22.*, sunt restituen-
 di, sed ejus fiunt irrevocabiler, conditioque hæc æquiva-
 let huic *donec erit vidua.* Particula autem donec, dum,
 quo ad, & similes in ultimis voluntatibus relictum annum
 faciunt, undè pro annis præteritis, quibus conditio est im- 8
 pleta, non venit fructuum restitutio *l. 17. junct. l. 11. de ann.*
leg. l. 8. de cond. & demonstr. Brunnem. ad l. un. C. de ind.
vid. Peck. d. c. 24. n. 2. Quod si ita quis leget *si castè & ho-* 6
nestè

nestè vixerit, so lange sie sich chrlich und wohl hält / num
 per hoc secundæ nuptiæ sint prohibitæ, legatumque per ite-
 ratas nuptias extinguatur? Sanè si nihil aliud sit adjectum,
 ex quo colligi possit ipsum de secundis nuptiis hoc intellexif-
 se, dicendum erit, propter secundas nuptias tale legatum
 non extingui, cum & secundæ nuptiæ in se non sint in hone-
 stæ, nec tales contrahens, nisi aliunde quid committat, mi-
 nus castè vivere dicendus est. Richt. *in auth. hoc locum. C. si*
secund. nupt. mulier. Gail. 2. Obs. 98. n. 25. Brunnem. ad auth.
multo magis. C. de Episc. & Cleric. Sichard. ad l. un. C. si se-
cund. nupt. n. 4. Limitat tamen hoc Richt. & Sichard. *d. l.*
 nisi tertio aut quarto nubat: Tum enim quia toties novos
 maritos experitur, non est habenda pro castè vivente, & ità
 hoc nomine legatum auferetur, quæ limitatio num ita sim-
 pliciter probanda dubito, eam saltem praxi non esse rece-
 7 ptum testatur ipse Sichard. *d. l.* Perdet verò quod sub hac
 conditione ipsi relictum est, non solum si stuprum vel adul-
 terium commiserit, sed & si turpiter conversetur cum inæ-
 qualibus & limites pudoris egrediatur. Fulv. Pacian. *de pro-*
bat. lib. 1. c. 14. num. 20. quod fit quando cum juvenibus fre-
 quenter in domo ejus visa fuerit familiariter versari, adeò
 ut cum iis palam ad fenestras steterit, brachio eorum col-
 lum tenendo, ridendo cum illis, & sic multum familiariter
 agendo, vel quod nocturno tempore visi sint exire ex ejus
 domo juvenes, cui accedat fama quod non castè & honestè
 vivat. Marcell. Cala. *de mod. art. & prob. c. 5. n. 573.* ob fre-
 quentem enim accessum, tanquàm à communiter acciden-
 tibus, vidua cognita præsumitur, Fulv. Pacian. *d. l. n. 20. &*
 8 *seqq.* Marcell. Cala. *d. l.* Quæritur si matitus viduæ relictæ
 usumfructum bonorum suorum legaverit sub conditione si
 dotes suas non petierit, an extincto usufructu, planè à peti-
 tione dotis arcenda? Et videtur primo quidem intuitu quod
 dotem

dotem petere non possit, quia conditio illa adjecta, si legatum consequi velit adimplenda, & conditione hâc deficientē legatum evanescere. *tot. tit. ff. de condit. & demonstr.* cumque semel legatum susceperit petitioni dotis renuntiâsse, tacitèque de non petenda dote transegisse videtur. Sed hæc non sunt tanti ponderis ut contrariam sententiam quoque defendit Fachin. *contr. 12. c. 64. deseram*, Imperator enim *in l. un. §. 3. C. de Rei uxor. act.* voluit, ut, nisi expressè à testatore additum sit, ne dotem peteret, utrumque & legatum & dotem consequeretur, jam autem in casu proposito à testatore tantum in casu, quo ususfructum consequitur dotem petere prohibuit, adeoque in eo casu quò ususfructus exspirat (*præcipuè cum de eo nihil testator disposuerit d. l. un. §. 3.*) saltem quò ad repetitionem dotis, obtinebit, nec præsumendum est testatorem, dum hoc non expressit, præcipuè cum saltem actum quendam liberalitatis exercere voluerit, eum voluisse, ut, in casu quo ususfructus cessaret, vidua cui bene prospicere voluit, dote suâ privaretur, accedit quod semper in obscuris & dubiis dote sit favendum & pro dote respondendum *l. 70. de jur. dot. l. 85. pr. de R. I.* Est enim ubique causa dotis præcipua & favorabilis *l. 1. solut. matr.* Ad argumentum adductum responderi potest, quod omninò adjecta conditio quamdiu ususfructus durat servanda sit, adeò ut contra testatoris voluntatem & legatum & dotem petere non possit, sed petito ususfructu quamdiu ille durat, dotis petitio cesset, male autem inferitur eam petendo ususfructum planè petitioni dotis renuntiâsse, deque non petenda dote transegisse, cum ex facto tali renunciatio absolutè facta colligi non possit, sed potius dicendum eam ususfructum relicto legato hâc mente suscepisse, si iste usque ad finem vitæ suæ duraverit, hancque interpretationem, quâ dos ipsi servatur, huic, quâ dote suâ privatur, præferendam esse, E tanquam

3
 1
 tanquam benigniorem patet *ex l. 56. de R. I.* semperque in re
 obscurâ potius favendum repetitioni quam adventitio lucro
l. 41. §. 1. de R. I. Sed quid si dotem quidem non petiit vidua,
 sed ultrò à hæredibus mariti ipsi detur, an legatum per ac-
 ceptionem dotis, exspiret, adeo ut amplius illud petere non
 possit? eam utrumque contra testatoris voluntatem conse-
 qui non posse patet *ex d. l. un. §. 1.* nec videntur hæredes per
 oblationem dotis conditioni legato adjectæ renuntiasse, sic-
 que præter dotem legatum velle præstare, sed tantùm ob-
 tulisse ut mulier eligat dotem si eam potius velit habere,
 quam legatum, non enim donatio aut renuntiatio juris pro-
 prii præsumitur *l. cum de indebito 25. pr. de probat.* Vidua
 verò si animum non habuerit accipiendi dotem legatoque
 renuntiandi, sed tantùm eam per errorem acceperit putans
 hæredes utrumque velle præstare, non perdet legatum, sed
 restitutâ dote, id ab hæredibus petere poterit *arg. l. 8. & tot.*
tit. de jur. & fact. ign. junct. l. 15. in fin. de jurisd. Conditio-
 nes plures viduarum quæ legatis adjici solent, qui desiderat
 videre. *vid. l. 62. §. 2. l. 64. 72. pr. §. 4. 5. l. 74. 100. 106. & similes.*
 ¶ *ff. de cond. & demonstr.* Nunc prætermiffis conditionibus
 adjici solitis, res ipsas quæ viduis legari solent videbimus,
 convenit autem in iis cum reliquis legatariis, ideoque quæ-
 vis res quæ aliis relinqui & ipsi nisi expressè singulariter con-
 stitutum reperiatur, legari possunt, singulare tamen est quod
 cum alias res propria legatarii ipsi legari non possit §. 10. *Inst.*
de legat. Viduæ tamen propria dos legari vel potius prælegari
 potest, legatumque omninò valet §. 15. *Inst. de leg.* rationem
 reddit ipse Imperator, quia plenius est prælegatum dotis
 quàm de dote actio, dos enim olim quæ in rebus quæ pon-
 dere numero, & mensurâ determinabantur, consistebat, an-
 nuâ, bimâ, trimâ die solvebatur uti dictum Cap. 2. prælega-
 ta vero dos præsentis die solvenda. *Struy. Exerc. 35. thes. 53.*
 Dotis

Dotis autem relegatio præcipuè spectat exactiorem dotis adeo ut si vivus uxori, (*quibus casibus licet*) restituerit dotem cesset legatum *l. 1. §. 5. de dot. præleg.* Evanesceit quoque si mancipia fuerint in dotem inæstimata data & hæc de mortua sint *d. l. 1. §. 6.* nisi certa & definita pecunia pro dote sit legata *l. 8. d. t.* Cæterum si dote nullâ constitutâ, dos simpliciter nulla adjecta quantitate legatur inutile est legatum *§. 15. Inst. de leg.* Si verò certa pecunia vel certum corpus in prælegato demonstratum sit valebit legatum *d. §. 15. l. 6. pr. & §. 1. de dot. præleg.* falsa enim demonstratio non vitiat legatum *§. 30. Inst. de leg.* vice hominis enim fungitur demonstratio *l. 34. de cond. & demonstr.* cujus error non vitiat legatum *§. 29. Inst. d. t.* Quid si maritus à matre uxoris dotem acceperit eique per stipulationem promiserit se dotem ipsi restitutum, post verò uxori dotem quam acceperat prælegat, an uxor dotis summam consequi possit, & deciditur *in l. 16. de dote præleg.* quod non nisi Vidua manifestè probare possit eam defuncti conjugis voluntatem fuisse, ut hæredes duplici præstatione dotis onerentur. *Struv. d. Ex. th. 46.* Porro videndum hic si testator viduæ alimenta reliquerit quid vidua consequatur? Alimentis legatis, cibaria, vestitus & habitatio debetur, quia sine his cum honore ali corpus non potest *l. 6. l. ult. ff. de aliment. & cib.* nec non Medicina & Pharmaca ægrotanti viduæ præstanda. *l. 43. & 44. de V. S. & quidem alimenta in eo specie & illa quantitate sunt præstanda in quâ relicta l. 10. & 12. de alim. & cib. leg.* *Struv. d. Ex. th. 67.* Si vero quantitas non expressa in primis considerandum, quid maritus ei solitus fuerit præstare, & quomodo secundum morem Patriæ in statu vidualiali debet. Pro more enim ipsius, ac regionis, & pro qualitate uxoris, & pro amplitudine facultatum defuncti, alimenta præstari debent, *l. penult. pr. de aliment. & cib.* *Struv. d. Ex. th. 67.* taxatio aurem & moderatio

10

moderatio alimentorum facienda non secundum quantita-
 tem omnium bonorum, sed tantum eorum de quibus ma-
 ritus testari potuit, cætera enim quæ necessario hæredibus
 relinquenda gravari non possunt, *arg. l. 32. C. de inoff. test.*
Nov. 18. c. 3. deinde alimenta non debentur pro viribus hæ-
 reditatis, sed tantum juxta quantitatem dotis, si dos & ali-
 menta legata sint. *l. 10. §. 2. de alim. & cib.* Alimenta autem
 ultra fructus quos res ferre potest non sunt extendenda, nec
 hæres si alimenta excedant fructus tenetur proprietatem
 vendere & pretium ex venditione redactum pro alimentis
 præstare *arg. l. 3. §. 1. ubi pupill. & l. 6. ibique Zas. n. 8. de cess.*
11 *bon. Mey. ad Ius Lub. tit. 2. art. 8. n. 68.* Maritus si uxori do-
 mum, aut habitationem sine aliquâ speciali demonstratione
 legaverit, & is unam tantum domum habuerit, de illa in du-
 bio sensisse videtur, illum enim potius de suâ, quam de a-
 liena domo sensisse præsumitur, *arg. l. 4. de solut. l. 7. de aur.*
& argent. Zas. lib. 1. Sing. Resp. n. 46. unde hæredes ex hære-
 ditariis domibus, non ex alienis præstare tenentur optione
 tamen relicta hæredi. *Zas. d. l.* quod si maritus plures do-
 mos habuerit, videtur in dubio domum istam, vel habita-
 tionem istius domi reliquisse, in quâ ipse cum viduâ habita-
 vit, hinc si in pluribus locis domos habeat, videtur de eâ
 domo censisse, quæ sita est in illa civitate in qua habitavit
arg. l. 39. ff. de condit. & demonstr. Non enim videtur testa-
 toris, qui viduam suam legato honorare voluit, mentem
 fuisse, ut ea, eam civitatem quam cum ipso incoluit, rem
 suam familiarem ibidem constituit, & in qua diutius habita-
 re desiderat, cum non immodico suo damno & tædio relin-
12 queret, aliamque minus gratam, aut commodam eligat.
 Præter domum, si maritus viduæ ea legaverit, quæ in domo
 sunt, ea tantum debentur quæ ad usum domus destinata, &
 ita comparata sunt, ut perpetuò essent in domo inibi que u-
 sum

sum domesticum præberent. *l. 78. §. fin. de leg. 3. l. 35. §. 3. de hered. inst. l. 32. in f. de pignor. & hypoth.* testator enim in dubio videtur minus gravare voluisse hæredem, quàm fieri potest. *arg. l. qui concubinam. 29. §. 1. de leg. 3. l. 43. §. 1. de leg. 3. l. 12. de V. O.* adeoque res Venales in domo repertæ, sub hoc legato non comprehenduntur. *l. Pediculis 32. §. 4. de auro & argento leg.* nisi expressa vel tacita testatoris voluntas hoc voluerit. *d. l. 32. §. 4. v. g. si dixerit lego ea quæ quomodocunque in domo mea sunt.* Nec nummi præcipuè si sint quantitatis non exiguæ, nec instrumenta debitorum hoc legato complectuntur. *l. 92. §. 1. de leg. 3. l. 79. eod. add. Covarr. variar. Resol. 2. c. 5. n. 1. conclus. 4. Negus. de pign. p. 2. m. 2. n. 14.* Illud autem quod à marito viduæ relictum est, in dotem aut 13 donationem propter nuptias non est computandum, sed præter dotem legatum consequetur. *l. un. §. 3. C. de Rei uxor. act. Brunnem. ad l. un. C. de Rei ux. act. n. 3. Pac. Anal. Cod. l. 5. tit. 13. n. 6. Coras. Miscell. Iur. Civil. lib. 3. c. 1. n. 7. 8. & seqq.* non obstat *auth. præterea. C. unde vir. & uxor.* Agit enim de casu, quo vidua propter inopiam quartam, ab intestato sibi ex bonis defuncti mariti debitam, petit, tum enim legatum in quartam imputandum, quia assécutione legati inopia cessat, aut saltem fit levior, *add. Coras. d. l. n. 10.*

C A P U T VI.

De anno Luctus.

NON immerito jura certum tempus viduis, quo defunctum I maritum lugerent, & à nuptiis secundis abstinerent, constituerunt, non satis enim decorum videbatur si vidua non præstito marito debito honore, statim ad secundas nuptias advolaret, sicque memoriam defuncti mariti excluderet, eamque non modicè læderet. *Novell. 22. cap. 40.*

E 3

Præcipuè

Præcipuè autem ratio hujus constitutionis consistit in turbatione sanguinis *l. 11. §. 1. de his qui not. infam.* Hahn. ad
 2 *Vvesenbec. l. 3. tit. 2. n. 5.* Tempus autem lugubre Constitutum olim erat spatium x. mensium quod postmodum ad anni spatium seu xii. menses redactum. *l. 2. C. de secund. nupt.*
 Richt. *ad auth. cui relictum. C. de indict. viduit. n. 25.* Quod
 3 tempus, si vidua non observaret sed intra illud ad secundas nuptias se conferret, variæ pœnæ erant constitutæ. Et quidem prima gravissima & antiquissima est infamia prætoris Edicto expressa *l. 1. de his qui notant infam.* quo non solum vidua intra annum luctus nubens infamiam incurrit, sed & ii qui eam scienter ducunt, quique eam, cum in potestatem haberent, in matrimonium collocarent. *d. l. 1.* Eam infamiam ipso jure incurrunt absque Judicis sententia Sichard. *ad l. 1.*
 4 *§. 2. C. de secund. nupt. n. 9.* Non autem incurrit infamiam vidua intra annum luctus nubens, si veniam à Principe impetravit *l. 10. pr. de his qui not. infam.*, aut intra annum luctus partum ediderit *l. 11. §. 2. d. t.* nec infamiam incurrit sponsa licet de præsentis intra annum luctus nubens. *l. 9. §. 1. de his qui not. infam.* Sichard. *ad d. l. n. 15.* Hæc autem Juris Civilis Constitutio, cujus observationem adhuc exoptat Bruneman. *ad d. l. 1.* Jure Canonico mutata permissumque liberè intra annum luctus nubere *C. penult. & ult. x. de secund. nupt.* occasionem hujus correctionis præbuit male intellecta Divi Pauli Epistola *1 Cor. 7. v. 39. & Rom. 7. v. 2.* ex eo quod ibi dicitur uxorem mortuo marito esse liberatam à lege viri, & posse nubere si velit in Domino. Ergo concludit Jus Canonicum statim non expectato anno luctus posse viduam sine ulla pœna nubere adeoque per licentiam & auctoritatem Apostoli, ut ait Papa *in d. c. penult.* abolita pœna est Juris
 5 Civilis. Quæ autem conclusio quam vergat contra mentem Apostoli patet ex verbis quæ subjicit, *modo fiat in Domino,*
 his

his enim in ineundis secundis nuptiis omnem honestum modum, media licita, finemque à Domino præscriptum, observandum esse, sat clarè indicare voluit, nihil autem magis abesse ab ejusmodi festinatis nuptiis, quam honestas, & alium vix adesse scopum, quam suæ satis faciendæ libini, & appetitui inordinato frœnum laxandi, satis patet, adeoque mens Apostoli non fuit promiscuè omnes festinatas nuptias permittere & approbare, sed tantum ostendere quod secundæ nuptiæ, solutæ mulieri non sint prohibitæ. add. Hahn. *ad Wesenb. d. n. 5.* Groenevv. *ad l. 1. de secund. nupt.* Brunnem. *ad d. l.*, qui prohibitionem ne vidua intra annum luctus nubat licet dotem aliaque bona non amittat, in foro Saxónico observari ait, præcipuè si commixtio sanguinis vel conceptus destructio timetur, tum enim Jus Civile Canonico præfertur. Brunnem. *d. l.* Imo nunquam dispensari debere aut posse cum viduâ ex priori matrimonio uterum gerente, ut nuptias celebret cum alio, cum hoc semper turpe & in Ecclesia Christi intolerabile fuerit visum, cum nec apud profanos quidem id fuerit honestum. Beza *de repud. & divort. p. m. 89.* Pœna secunda nubentium intra annum luctus est, quod mulier non nisi tertiam partem bonorum suorum, secundo marito nec dotis titulo, nec ex testamento, aut donatione inter vivos, donare, aut ullo alio titulo in ipsum transferre possit *l. 1. C. de secund. nupt. Pac. Anal. Cod. l. 5. tit. 9. n. 5.* Peregrinus *de Jure Fisc. lib. 3. tit. 15. n. 1.* Perez. *ad Cod. L. V. tit. 9. n. 2.* Tertia est quod talis vidua ex testamento extraneorum nihil hæreditatis, fideicommissi, aut donationis mortis causa sibi relictæ, capere possit. *d. l. 1.* Sichard. *ad d. l. 1. n. 24.* Brunnem. *ad l. eand.* ex donatione autem inter vivos capere potest, quia pœnæ à legibus dictatæ potius molliendæ sunt quam exasperandæ *l. penult. ff. de pœn.* Peregr. *de Jur. Fisc. d. l. num. 1.* Richt. *ad auth. C. eisdem pœnis de secund.*

6

cund. nupt. Quarta est quod talis mulier omnia quocunque titulo aut modo à priori marito sibi relicta, etiam quò ad usumfructum amittat. *l. 1. & 2. C. d. t. Perez. ad l. c. num. 2.* adeo ut etiam lucra nuptialia quo ad usumfructum & proprietatem perdat *arg. Nov. 39. c. 2. junct. auth. iisdem pæn. C. de secund. nupt. Mev. ad Ius Lubecens. p. 2. tit. 2. art. 12. Brun-*
 7 *neman. ad d. l. 2.* Quinta & ultima est quod hereditatem cognatorum ab intestato, civili vel honorario jure delatam, ultra tertium gradum capere non possit. *l. 1. C. d. t. Perez. d. l. Richt. ad d. auth. n. 12.* Iisdem pœnis afficienda mulier quæ circa finem anni luctus vel statim post eum peperit ita ut appareat natum non esse ex defuncto, stuprum enim intra annum luctus quia eadem subest ratio & metus confusionis & destructionis sanguinis eandem meretur pœnam. *Nov. 39. c. 2. junct. d. auth. iisdem. C. de secund. nupt.* hinc qui undecimo mense completo à morte mariti peperit intra annum luctus stuprum commisisse non dubitandum, ultra 10. enim vel initium undecimi mensis mulier partum non differt. *d. Nov. 39. c. 2. Struv. Ex. 3. th. 4. Lauterb. Comp. Iur. Civ. l. 1. tit. 6.*
 8 *lit. b. p. m. 23.* Ea verò qui decimo vel initio undecimi mensis parit his pœnis enumeratis non subjacebit, sed ex priori marito concepisse censebitur *d. Novell. 39. Richt. ad d. auth. iisdem pœnis. n. 17. 18. & seqq. Hahn. ad VVesenb. lib. 1. tit. 5. n. 3. p. m. 103. 104.* ubi sic judicatum esse asserunt, præjudiciaque varia allegant, quod tamen limita modo vir ante mortem, morbo aliquo diuturno vel alio quovis impedimento à concubitu cum muliere non fuerit impeditus *Richt. d. l. n. 20.* Notandum quod licet pœnæ Juris Civilis intra annum luctus nubentibus impositæ Jure Canonico *C. penult. & ult. extr. de secund. nupt.* sint sublatae, non tamen quo ad viduas intra annum luctus stuprum committentes, sive ex eo pareant si-
 ve non, sunt abrogatae, sed hæc adhuc iisdem pœnis supra enarratis,

narratis, scilicet infamiae, incapacitatis & ablationis, puniuntur, quia Jus Canonicum nullatenus per dispositionem *in d. c. penult. & ultim.* frœnum luxuriæ & turpi veneris commercio laxare, sed tantum secundas nuptias etiam festinatas absque metu poenæ permittere voluit, adeoque hic Regula Juris Civilis obtinet, *quod non mutatur quare stare prohibetur l. 27. C. de testam.* Sichard. *ad d. l. 1. n. 14.* Peregrin. *d. l. n. 5.* nec has poenas evitat si intra siue post annum luctus nubat, cum eo amasio vel alio: Peregrin. *d. l. n. 9.* occasione *d. Nov. 39.* Quæritur si vidua statim post mortem mariti nubat, & ante nonum mensem pariat cujus sit filius? Intricatam hanc & difficilem quæstionem sic exponere lubet. Aut mulier fuit consueta parere in tanto tempore, & partum ex priori marito natum esse dicendum est, mulieris enim consuetudo in hoc casu ubi alium exitum res habere non potest attendenda venit, *arg. l. 3. in f. si pars hered. pet. junct. l. 3. 4. 5. & 6. de LL.* aut vero non, & cum in tanta temporis brevitate possit esse primi vel secundi mariti ea præsumptio attendenda, quæ partui favorabilior præcipuè si nulla alia adsit præsumptio. Menoch. *de arbitr. Ind. 2. l. 2. cent. 1. cas. 89. n. 22. & seq.* adeoque si prior maritus sit ditior posteriori, filius prioris mariti esse præsumetur *arg. C. estote. de Reg. Jur. junct. l. 56. de R. I.* Marcell. Cal. *de mod. art. c. 5. n. 922.* Argumentum autem à similitudine & lineamentis paternis desumptum præcipuè si sit solum, non adeò certum & bonum ut Coraf. *Miscell. Jur. Civ. 2. c. 22. n. 5.* Putat, esse existimo, cum similitudo hæc non aliunde proveniat quam ex imaginatione conceptionis tempore *glossa in l. quæret aliquis. l. 135. de V. S. l. non sunt liberi de statu hominum.* Marcell. Cal. *d. l. n. 924.* Menoch. *d. l. n. 97.* Sic accidere potest, ut ex adulterio, cum mulier in ipso actu adventum viri metuat, semperque de eo cogitet, gignat filios non adultero sed marito similes. Nota

F

quoque

quoque est Jacobi astutia *Gen. 30.* virgas diversi coloris in canales immittentis, ut cum greges venirent ad bibendum, in aspectum earum conciperent: factumque ut in ipso calore coitus oves intuerent virgas, & parerent maculosas. Exempla eorum qui sibi similes & quorum lineamenta, adeò convenientia, fuerunt ut vix discerni potuerint, vid. apud Valer. Max. *lib. 9. cap. 14.* Negandum tamen non est hoc argumentum adjuvare alias conjecturas, si adsint, quamvis solitariè sumptum nihil efficiat Fulv. Pac. *de Prob. l. 2. c. 13. 54. & 55.* Multum autem in hisce arbitrio Judicis, qui bene hanc quæstionem ratione variarum occurrentium circumstantiarum examinare debet, relinquendum Menoch. *d. l. n. 105.* minimè autem ad Astrologos, ut vult Marcell. Cala *d. l. n. 925.* Currendum, ut inspectà verâ nativitatis die & hora de tempore conceptionis, & quis parens sit judicarent. Notandum hic quoque quod vidua intra annum luctus emens ex bonis mariti emisse censeatur Marcell. Cala. *de modo articul. c. 5. n. 1441. p. m. 735.* Alciat. *presumpt. 26. n. 4. & 5.* post annum vero luctus non aliter præsumitur eam de bonis defuncti mariti emisse, quam si alia aliqua adsit conjectura, per quam veresimile sit etiam empta ultra annum luctus de bonis mariti empta esse, Alciat. *d. l. n. 4. & 5. ibique citati author.* Qualis conjectura est si probari possit maritum ante mortem adhuc certam summam pecuniæ habuisse, quæ tamen postmodum reperta non fuit, aut constet ex qualitate personæ & facultatum, talem mulierem veresimiliter non potuisse habere ante tempus constantis matrimonii unde acquireret Alciat. *d. l. n. 6.* ut autem procedat hæc præsumptio necesse est ut probent hæredes viduam tempore luctus emisse. Alciat. *d. l. n. 6.*

CAPUT VII.

De Nuptiis Viduarum.

PRisci Romani eam foeminam pudicitiae coronam honesta-
 verunt quae una contenta viro, perpetuam viduitate castif-
 simi & incorrupti animi sinceritatem ostendisset. Con-
 tra admodum libidinis Impatientem esse Judicarunt, quae
 prioris foederis oblita, rursus nupsisset, tum maxime cum
 liberos mortuum maritum facie, nomineve referentes atque
 exprimentes haberet. Impia siquidem videbatur, quae libe-
 ros urbatos Patre, ab omnibus destitutos, eo praesertim tem-
 pore quo magis opem indigent, quasi in limine vitae neglexit.
 Quam sententiam Elissa apud Virgilium his verbis Eleganti-
 sime exprimere videtur; *Saltem si quam mihi de te suscepta
 fuisset ante fugam soboles: si quis mihi parvulus aula Lude-
 ret Aeneas, qui te tantum ore referret, non equidem omni-
 no capta ac deserta viderer.* Nec Jus Canonicum in omni-
 bus secundis nuptiis, etsi liberi ex priori matrimonio non ex-
 stent, favet, sed denegat iis benedictionem sacerdotalem,
 eumque, qui non attentam hanc prohibitionem eas nihilominus
 benedicere ausus fuerit, ab officio beneficioque suspendit. C. 1.
 & 2. de secund. nupt. quod tamen in Ecclesiis nostris non ob-
 tinet, quia aequae sunt secundae nuptiae licitae ac primae Genes.
 25. 1 Corinth. 7. v. 8. 39. Non autem tantum iis benedictio-
 nem detrahit, sed & veram fornicationem secundis nuptiis
 quamvis a Deo permissam adeoque licitam, inesse asserere
 non veretur. c. 9. caus. 31. q. 1. Eodem jure bigamus non de-
 bet ordinari etiam uxore defuncta. c. 3. & tot. tit. de Bigam.
 non ordin. sicut nec is qui viduam & si primum sit matri-
 monium duxit. d. c. 3. Adeo odiosae, Jure Canonico sunt nu-
 ptiae viduarum ut etiam ei, quae secundas nuptias contraxit,
 etiamsi sit anus decrepita, tanquam indignae eleemosinas de-
 neget,



neget, C. 10. XXI q. 1. Imo eò tandem eo jure deventum ut
 etiam eam à Sacra Cœna Domini arcendam esse judicet, uti
 non obscure colligitur *ex d. c. 10. in fin.* cujus verba finalia hic
 ascribere non pigebit. *Simulque considera quod quæ duos
 habuit viros, etiamsi anus est & decrepita & egens, Ecclesie
 stipēs non meretur accipere: Sin autem panis ille tollitur Elee-
 mosynæ, quanto magis ille panis qui de cælo descendit; quem
 qui indigne comederit, reus erit violati Corporis & Sangui-
 nis Christi?* Jure Civili vero liberis nullis exstantibus non
 4 sunt prohibitæ sed ab omni pœna exemptæ, nec aliquid de
 his constitutum reperitur. Exstantibus vero liberis in horum
 favorem specialia quædam jura secundas nuptias concernen-
 tia sunt introducta. Struv. *Ex. 29. th. 53.* Quæ in tria mem-
 5 bra dividere lubet. Primum membrum continet restrictio-
 nem liberam aliàs rei suæ administrationem, prohibetur
 enim *l. 6. C. de secund. nupt.* vidua nubens, sive testamen-
 to, sive legato, sive dotis, aut donationis causa mortis,
 aut ullo alio titulo, de suis & propriis bonis plus confer-
 re in secundum conjugem, quam uni ex liberis prioris ma-
 trimonii relinquat, & quidem respectu habito ad illum qui
 minimum accepit, *d. l. 6. quod si de facto plus datum, id
 quod excedit, secundo conjugi aufertur, & inter liberos pri-
 mi matrimonii dividitur d. l. 6. in f. princ.* Nisi liberi fuerint
 6 ingrati. *l. p. d. t. & d. l. 1. pr.* Quæ constitutio *d. l. 6.* per sub-
 sequentem *l. 9. eod.* correctâ, constitutumque ut illud, quod
 amplius posteriori conjugi datum, non solum inter liberos
 prioris matrimonii, sed etiam inter eos qui ex posteriori ma-
 trimonio nati sunt, & quidem in capita divideretur, quos
 denuò à participatione ejus quod plus datum, exclusit Ju-
 stinianus *Nov. 22. c. 1. 27. & 29.* liberisque primi matrimonii
 solum id, quod supra legitimum modum datum attribuit.
 Quod si uni liberorum minus legitima relictum sit, non quid
 relictum,

relictum, sed quid relinqui debuerit, attendendum, atque
 ita tota legitima consideranda est, cui respondentem quan-
 titatem etiam secundo conjugii relinquere potest. Brunnem.
ad l. Hac Edictali 6. pr. C. de secund. nupt. Sichard. *ibid. n. 16.*
 Secundum agit de his quæ superstes accepit à conjugē de- 7
 functo, quodque jus in iis, nuptias secundas appetens, reti-
 neat ubi (1.) notandum, quod vidua, quæ novas amplectitur
 nuptias, ea quæ à priori conjugē accepit, tantum usumfru-
 ctum & administrationem habeat, proprietate liberis primi
 matrimonii servatâ, proindè non potest res eas alienare vel
 pignori obligare, sed eas tenetur liberis servare *l. 3. in f. pr.*
C. de secund. nupt. Et hinc res ejus liberis obligatæ ex ea die,
 quâ lucrum aliquod à conjugē accepit, *l. 6. §. 2. d. t.* si igitur
 vitricus has res alienaverit, quas liberis servare debebat, li-
 beri possunt res exstantes vindicare, consumptas hæredi con-
 dicere *l. 5. pr. vers. dominium. C. de secund. nupt. junct. l. 6. §. 2.*
 adeò ut ex hujus parentis rebus, liberis satisfiat *d. l. 3. in f.*
pr., potest tamen mater has res pro lubitu inter liberos di-
 stribuere *d. l. 3. pr.* quod tamen *in auth. lucrum seqq.* corre-
 ctum, statutumque ut lucra æqualiter inter liberos distribue-
 rentur, ne alioquin ex affectu inæqualis fiat distributio, cum
 tamen omnes per secundas nuptias sint de-honestati. *Nov. 22.*
c. 25. Brunn. ad l. 3. C. d. t. (2.) Hæc obtinent sive vidua inter 8
 vivos, sive ex ultimâ voluntate à conjugē acceperit, quovis ti-
 tulo *d. l. 3. in pr. ibique Brunnem.* sive res mulieri donatæ, sive
 in dotem datæ *d. l. 5. pr. vers. hoc observati. d. l. 3.* sive con- 01
 jux ipse sive alius pro conjugē dederit. *d. l. 5. §. 1. auth. in do-*
natione. C. de secund. nupt. item sive liberi sint tantum pa-
 tris, sive marris, sive utriusque, sive neutrius hæredes *Auth.*
He res. d. t. ibique Brunnem. item etiam si liberi ante secun-
 das parentis nuptias decesserint, aliis relictis hæredibus *l. ult.*
pr. C. de secund. nupt. hoc casu tamen valet alienatio, quoad
 id

id quod parens ob non exstantes liberos lucratur. *d. l. ult.*
 9 (3.) Si filii, quibus bona à priori conjugè relicta, mater ser-
 vare debet, liberis relictis moriantur, hi illorum locum oc-
 cupant & eadem jura in dictis bonis habent. *l. 7. & 8. C. de
 secund. nupt. ibique Brunnem.* (4.) Solutò per mortem viri
 matrimonio, si res propter nuptias, aut alio modo donatas,
 & in viduam translatas, sint immobiles, penes mulierem
 tanquam fructuariam eæ manent. Res mobiles vero per ar-
 bitrum juratò æstimari, & æstimatione peractâ, matri præsti-
 tâ satisfatione se rem, aut pretium restitutum liberis, finito
 usufructu, tradi debent *l. 6. §. 1. C. d. t.* Ratio autem cur cau-
 tio à matre exigatur est, quia res mobiles facile consumun-
 tur, vel pereunt, imò earum usus ferè nullus est nisi in abu-
 3 fu Brunnem. *ad d. l. 6. §. 1. Richt. ad auth. sed si aurum. C. d.
 t. n. 2.* Sed si mulier satisfacere nolit, aut non possit, liberi res
 possidebunt, dummodo matri satisfacent se annuas usuras tri-
 entes (*id est 4. pro 100.*) præstaturus, & insuper si omnes ma-
 tre superstite moriantur, res ipsas restitutos. Si vero neutra
 pars satisfacet tunc ea res ob respectum parenti debitum apud
 mulierem usque ad finem vitæ manebunt. *d. l. 6. §. 1. in f.
 Brunnem. l. cit. Richt. d. l. n. 5.* Si tamen pecunia vel aliæ res,
 quæ in hæreditate defuncti non extant, superstiti viduæ
 8 sint assignatæ, liberi à matre præcisè res assignatas non ex-
 6 stantes in hæreditate, præstandas, cogi non possunt, sed cau-
 tionem præstita de exsolvendis usuris trientalibus liberantur.
 10 *auth. sed si aurum. d. t. ibique Richt. n. 5.* (5.) Vidua, quæ
 ad secunda vota transit, sicut liberis prioris matrimonii lu-
 cra nuptialia à primo marito quæsitæ, ita & à secundo viro
 sibi donata vel relicta, secundi matrimonii liberis, reservare
 debet, sive ad tertias nuptias se contulerit sive non, quili-
 bet enim liberi lucra nuptialia, quæ à parente suo pervene-
 runt, habent præcipua. *l. 4. C. d. t. Nov. 22. c. 29.* Si verò à se-
 cundis

cundis nuptiis abstineat vidua poterit liberè de lucris nuptialibus disponere, si tamen nihil disponat, lucra ad liberos primi matrimonii revertuntur, si vero denuo nupserit, de iis quæ ex primo matrimonio sibi obvenerunt disponere non poterit, etsi denuo vidua facta. *l. 8. §. 1. & 2. junct. auth. nunc autem.* ibique Brunnem. *C. de secund. nupt.* (6.) Si viduus viduam duxerit, & in eam res aliquas contulerit, deinde nullis ex hoc matrimonio liberis relictis, decesserit, mulier in his rebus plenum jus habet, licet donatoris liberi ex priori matrimonio suscepti existent. *d. l. 4.* modo id quod relictum est non excedat partē, quam habet, cui minor portio relicta est. *l. 6. C. de secund. nupt.* In tertio membro agitur de iis, quæ vidua consecuta à liberis primi matrimonii. Et quidem hoc casu jure Codicis constitutum, ut id quod à filio primi matrimonii, vel ex testamento, vel ab intestato accepit, pleno proprietatis jure habeat, si alii ex eodem matrimonio liberi non existent, aliis vero exstantibus, nudum tantum quo ad vivit habebit usumfructum. *l. 3. §. 1. C. d. t. ibique Brunn.* Jure verò novellarum hæc constitutio, tam quò ad successionem ex testamento, quàm ab intestato, correctā, dispositumque ut mater ea quæ ex testamento filii ipsi relicta sunt, pleno jure tam quo ad usumfructum, quàm quò ad proprietatem, etiamsi adhuc fratres defuncti ex primo matrimonio nati existent, capiat. *Nov. 22. c. 46. junct. auth. Ex testamento. C. de secund. nupt.* Solent tamen Doctores dicta limitare hoc modo ut procedant, quando defunctus filius, postquam mater secundas inierit nuptias, testamentum condiderit, in eoque ipsi aliquid reliquerit. Brunnem. *ad l. 3. & auth. seqq. C. d. t.* Sichard. *ad auth. ex testamento. d. t. n. 2.* Richt. *ad d. auth. n. 2.* ratio est quod filius, qui sciens matrem secundas nuptias contraxisse ipsi nihilominus aliquid relinquit, satis aperte & ipso facto per hoc ostendat, per secundas nuptias sibi

- 12 sibi injuriam illatam non esse, vel saltem illatam matri remittere, quod fieri posse aperti juris est. Quo ad successionem ab intestato Jus Codicis, quò sine ullâ distinctione bonorum, fratribus vel sororibus exstantibus, tantùm quo ad usumfructum succedebat, proprietate fratribus vel sororibus reservatâ, immutatum per *d. Nov. 22. c. 46.* in quâ distin. an bona defuncti filii, in quæ succedit mater sint profectitia, quæ à patre ad filium pervenerunt, & fratribus vel sororibus exstantibus, tantùm usumfructum eorum habebit, proprietate penes liberos prioris matrimonii manente, videbatur enim nimis durum, & memoria defuncti, quæ jam modo per secundas nuptias læsa erat, ulterius affici, si bona ejus ad ingratam talem conjugem quo ad proprietatem devolverentur. An adventitia quæ aliunde quàm à Patre ad filium pervenerunt, & hæc pleno proprietatis jure, adeò ut liberè de iis disponere & alienare possit, ad matrem devolvuntur, nihil reliquis liberis de proprietate participantibus. *d. Novell. 22. & auth. d. Ex testament. d. t. ibique supr. cit. DD.*
- 13 Si autem bona in filium ab avo paterno profecta sint, num adventitia an profectitia dicenda? Communiter distingui solet, an avus intuitu nepotis, & ejus solum gratiâ dederit, & adventitia dicenda, an vero patris ut ipsi acquirerentur & profectitia dicenda, si vero de voluntate hæc avi non constet, in dubio paterna censenda, patris enim nomine avus & filii nepos continetur. *l. justa. 201. de V. S. add. Richt. ad d. Auth. num. 6. 7.*
- 14 Sichard. *d. l. n. 4.* Sed num vidua à pœnis jam enarratis sit immunis si maritus defunctus licentiam nubendi ipsi concesserit? Variat hic DD. sententia, affirmativam defendunt Christen. *de causis matrim. disp. 3. q. 31.* Marta *de jurisd. p. 4. cent. 2. cas. 181. n. 23.* Gail. *2. Obs. 98. n. 18.* censetur enim maritus omnem pœnam, quæ propter injuriam per secundas nuptias sibi illata est, remississe, dum consensu ejus vidua nubit, adeoque

adeoque volenti ex vulgari regula neque dolus neque injuria fit. *l. 1. §. 5. de injur. l. 9. §. 1. de aqua. & aq. pluuv. l. 34. C. de transf.* In contrariam sententiam abeunt Coras. *Miscell. Jur. Civil. 3. c. 1. n. 11. 12. & 13.* Perez. *ad lib. 5. tit. 10. Cod. n. 20.* cui & ego subscribere non vereor, siquidem per posteriores nuptias non tantum priori marito, sed & liberis injuria inferitur, poenaeque constitutae non tam in odium secundarum nuptiarum quam in favorem liberorum sunt introductae Brunnem. *ad l. 3. C. de secund. nupt.* Groenevv. *de Leg. abrog. ad rubr. l. 5. tit. 9. n. 9.* nullis enim liberis extantibus nuptiae secundae ab omni poena sunt exemptae Struv. *Ex. 29. th. 53.* Brunnem. *l. c.* Si vero liberi prioris matrimonii in secundas consentiant nuptias, simulque eo, quod in favorem eorum introductum est renuntient, sine metu constitutae poenae, vidua secundas nuptias adire poterit, lex enim in favorem liberorum poenas eas introduxit cui renuntiare procul dubio possunt. *l. si Index. 41. de minor. l. penult. C. de pact.* quo tamen casu non satis erit majoris partis, sed omnium consensum habere necessum erit. *arg. l. 11. de S. P. R. l. fin. C. de auth. prest.* Si vero lucro a lege pro se introducto expresse non renuntiaverint, sed tantum nuptias secundas contrahenti consenserint, lucrum a lege sibi constitutum non perdent, qui enim non contradicit actui qui eo invito geri potest nullum sibi affert praerudicium *l. 8. §. 15. quib. mod. pign.* Perez. *d. l. n. 20. diff. Gail. d. l. n. 20. 21. & seqq.* Secus si pactis dotalibus in quibus praerudicium liberis creatum subscripserint pactaque comprobaverint. *arg. d. l. 8.* Perez. *d. l.* Diximus supra Jure Canonico poenas intra annum luctus nubentium abolitas esse, hinc quaeritur an etiam secundarum nuptiarum poenae sint sublatae? Communis est Doctorum sententia, eas, quae merum continent odium secundarum nuptiarum esse sublatas, non vero, quae in favorem liberorum primi matrimonii principa-

G

liter

15

liter statutæ in hoc enim casu, Jus Canonicum est correctorium & novum, adeoque strictè in terminis suis de quibus loquitur, accipiendum Gail. 2. *Obs.* 98. n. 8. Brunnem. *ad l. ult. C. de secund. nupt.* Perez. *ad d. tit. n. 19.* Coras. *lib. 3. miscell. cap. 1. n. 6.* Groenevveg. *de LL. Abrog. ad l. 3. C. d. t. n. 2.* Sichard. *ad d. rubr. n. 16.* Forster. *de success. l. 7. c. 10. n. 2.* qui communem hanc esse DD. sententiam asserunt. Et hæc, quæ de pœnis secundarum nuptiarum dicta, in multis adhuc terris & regionibus in usu, multisque præjudiciis confirmata esse, testatur Groenevveg. *ad l. 3. C. de secund. nupt. num. 3.* Brunnem. *ad l. ult. C. d. t.* hic tamen dictas pœnas in suis regionibus ab usu recessisse asserit, adeoque statuta & mores & consuetudo cujusque loci inspicienda, & secundum eam occurrente hæc materiâ decisio facienda. *l. 32. pr. & §. 1. de LL.*

- 16 Præter enumeratas Pœnas Vidua secundò nubens dignitatem, nobilitatem, privilegia, forum, & similia, quæ per nuptias primi viri consecuta est *l. 9. C. de incolis. l. 13. C. de dignitatibus. l. fœmina. 8. ff. de Senat.* quæque si vidua mansisset retinisset *arg. l. 9. C. de incol. l. 13. C. de dignitat.* perdit & secundi viri conditionem & forum sequitur. *d. l. 9. l. 13. l. 10. C. de nupt.* Beyer *de Jur. Mascul. p. 1. c. 3. thes. 7. num. 4. & seqq.* Brunnem. *ad l. ult. C. de incol.* Perez. *ad Lib. Cod. 10. tit. 39. n. 12.* Mynsing. *ad §. sed & si quis. Inst. de ingen. n. 4. & 5.*
- 17 Utrum autem vidua nobilis nubendo postmodum viro ignobili nobilitatem perdat? Quæstio hæc majoris est indaginis, inspecta enim *l. ult. C. de incolis. junct. l. 13. C. de dignit.* facile cum Vultej. *Cons. Marp. 34. vol. 3. n. 169. & 170.* & Harprecht. *ad §. apud Catonem. Inst. de Adopt. n. 4.* eò me perduceret ut crederem talem viduam ignobili nubendo perdere nobilitatem, dicitur enim *in d. LL.* si minoris ordinis virum postea fortitæ fuerint: Priori dignitate privatæ posteri^{us} mariti sequentor conditionem. Sed quia in dictis legibus nihil de nobilitate

bilitate originali, sed tantum de ea quam per priorem maritum consecuta est agitur, inque *l. 10. C. de nuptiis*. Expresse distinguitur inter eam, quæ dignitatem senatoriam habet à patre, id est ab origine, & eam, quæ à viro per communicationem ejus, hanc posteriorem per nuptias inferioris conditionis viri perdit; Hinc cum in dubiis benigniora semper præferenda sunt *l. 56. de R. I.* sic cum Brunnem. *ad d. l. 10.* distinguere lubet aut quæstio est de dignitate & nobilitate accidentali quam vidua per nuptias, consecuta est, & hanc inferioris conditionis viro nubendo perdit. *d. l. 9. C. de incol. l. 13. C. de dignit. l. 10. C. de nupt.* aut de naturali quam beneficio natalitatis & ex origine paterna habet, & hanc non perdit *d. l. 10. ibique Brunnem.* sed nobilitas ista tantum obscuratur & obumbratur quâdam caligine, ac privilegia Principum liberalitate ac lege nobilibus concessa, tam diu suspenduntur Perez. *ad Lib. Cod. 12. tit. 1. n. 49.* Excipe hinc reginam, quæ nubens ignobili, ei tribuit nobilitatem & communicat de qua re late differentem vide Perez. *d. l. n. 50. 51. 52. & seq.* ad Brunn. *ad Lib. 12. C. tit. 1.* Porro Vidua secundò nubens jus sepulturæ in sepulchro primi mariti, quod ipsi si vidua mansisset competiisset *C. Unaquæque XIII. q. 2. ibique gloss.* perdit, & si post secundas nuptias moriatur, in sepulchro ultimi viri sepeliri debet. *C. is qui. §. fin. de sepult. in 6. Zas. ad l. cum quædam puella. de Jurisd. omnium lud. n. 3. 4.* Deinde hic notandum quod sicut filix per nuptias & separationem bonorum & mensæ, hodie exeant ex potestate patris, ita post mortem primi mariti in potestatem parentum non recidunt, adeoque si ad secundas nuptias convolent Parentum consensum non nisi honoris causa adhibere necesse habent Richt. *Decis. 8. n. 102. & seqq.* Ulterius notandum quod vidua nubens, nullâ dote expressâ, cum eadem dote viro secundo nubere præsumatur, quam primi matrimonii viro attulit. *arg. auth. sed*

18

19

20

21

G 2

quavis.



quamvis. C. de R. U. A. ibique Brunnem. & Richt. n. 26. nec pater, si filia secundo nupserit, dotem, quæ soluto primo matrimonio ad se rediit, imminuere potest. d. Auth. ibique DD. ratio quia dos est proprium mulieris patrimonium licet in potestate sit patria l. 3. §. 5. de minor. & quia dos à patre semel data, alienata est ab ejus substantia l. ult. ff. de dot. collat.

22 Excipe nisi casu quodam fortuito bona patris sint imminuta, tunc enim non amplius secundo viro præstare cogetur, quam facultates ejus patiuntur d. Auth. nimis enim acerbè liberi cum parentibus agere non debent; Dicta etiam obtinent etiam si dos tantum promissa & stante primo matrimonio nondum soluta sit. Brunneman. d. l. deinde etiam si liberi ex priori matrimonio existent, tamen eadem dos data præsumitur quæ primo viro collata fuit. Gail 2. Obs. 82. n. 7. modo tamen lucrum dotis collatæ non excedat minimam ut supra dictum partem uni ex liberis relictam. d. l. Hac Edictali. C. de secund. nupt. Gail. 2. Obs. 82. n. 8.

C A P U T VIII.

De Vidua Gravida.

1 VIdua gravida est quæ conceptu gravatur, quæ quandoque mulier pleno ventre appellatur. l. 84. de Acquir. vel amitt. hered. Viduæ autem gravidæ jura varia beneficia accommodarunt, quorum primum est quod mulier ventris nomine petere possit missionem in bona defuncti mariti l. 1. per tot. de ventr. insp. Struv. Ex. 30. th. 81. & 82. ad quam tamen obtinendam possessionem, requiritur, ut vidua, quæ se prægnantem esse dixerit, his ad quos ea res pertinebit, procuratori-ve eorum, bis in mense denunciandum curet, ut mittant si velint, quæ ventrem inspiciant. Mitti autem debent mulieres liberæ solum quinque, non à vidua sed Judice electæ, hæque

hæque omnes inspicere debent, ventre tamen invitâ muliere intacto relicto, & honestissimæ fœminæ domus, in qua pariat selegenda est, vidua deinde ante 30. dies quam se parituram putat, denuntiet his ad quos ea res pertinebit, procuratoribusve eorum, ut mittant si velint, quæ ventrem custodiant. In quo conclavi mulier paritura erit, non plures aditus sint, quàm unus, ante ostium ejus liberi tres & tres liberæ cum binis comitibus custodiant, omnes introeuntes custodes excutiant, ne qua prægnans sit, cum autem parere incipiat, his ad quos ea res pertinebit, procuratoribusve eorum denuntiet, ut mittant quibus præsentibus pariat, non autem ultra quinque mulieres, duæque probatæ fidei obstetrices mittendæ sunt, quæ omnes ut dictum excuti debent, ne fortè aliqua prægnans in conclavi sit, & noctu tria lumina ad minimum esse debent ad arcendum omnem commodiorem subjiciendi modum, nato jam partu iis, quorum non nasci interest, inspiciendi causa dandus est. *l. 1. §. 10. de inspic. ventr.* Hodiè quamvis illarum solemnitatum scrupulositas per omnia non fervetur, frequentatur tamen adhuc ventris inspectio in viduis præprimis nobilibus, quæ prægnantes post defunctum maritum, aliquando immissionem petunt in bona feudalia, *Struv. d. Ex. 30. th. 81. Hahn. ad VVesenb. tit. de inspic. ventr.* Tria autem vidua petere debet, (1.) ut ventris, seu partus inediti nomine in possessionem mittatur. *l. tit. de ventr. in possess. mitt.* (2.) Ut ventri seu bonis Curator detur, qui viduæ præstet alimenta, habitationem, & ad edendum partum alia necessaria, pro facultatibus & dignitatibus mariti defuncti, nec enim fas est ei denegare alimenta, qui nascendo dominus bonorum est futurus, & de quo spes est fore ut reipubl. nascatur. *Struv. Exerc. 37. th. 45.* Quo facto tamdiu in possessione est venter, donec pariat, vel omninò constet eam non esse gravidam, Vidua autem rebus immissis
 G 3 uti

- uti debet salvâ substantiâ, unde nec immutare, nec quidquam ex iis permutare, sed ita in iis bonis versari debet mulier ut omnia integra liberis relinquuntur. *Mev. ad Ius Lubec.*
- 3 *p. 2. tit. 2. art. 8. n. 52. 53. & seqq.* (3.) Ut fiat inventarium five descriptio bonorum defuncti Hahn. *ad VVesenbec. d. l.* Quod si vidua calumniæ causâ possessionem adeptâ sit, sciens prudensvè se minimè prægnantem esse, prætor actionem in factum dat contra illam ejusve patrem, qui doli particeps, & per quem factum, ut in possessionem per calumniam veniret, ei, cui interest mulierem in possessionem non esse misfam, ad partis agentis interesse *l. un. §. 1. 2. 4. 5. 6. & 12. si mul. ventr. nom. in poss. calumn. caus. esse dicatur:* ad interesse quoque censenda sunt ea, quæ in ventrem erogata sunt, quæ, si calumnia caret vidua ab eâ peti non possunt. *d. l. un. §. 7.*
- 4 Quia autem talis mulier non solum hæredem, sed & prætorum decepit, hinc non tantum illa, quæ suæ potestatis hoc fecit, sed & pater qui, quidem nihil jussit, sed tamen eam quam in potestate habebat mitti ventris nomine, cum tamen eam prægnantem non esse, sciret, passus est, infamiâ notatur. *l. 15. 16. 17. 18. & 19. de his qui not. infam. d. l. un. §. 12.* Hahn. *ad VVesenbec. tit. si mul. ventr. nom. in poss. calum. causa esse dic.* Actio autem hæc intra annum utilem datur *d. l. un. §. 3.* Struv. *d. Ex. 30. th. 84.* Wissenb. *Disp. 49. thes. 21.* Excusatur ab infamiâ vidua (1.) si per errorem se prægnantem esse dixerit *l. 18. de his qui not. infam.* (2.) quæ cum esset sub patriâ potestate, jussu patris venit in possessionem, tum enim actio hæc famosa in patrem datur. *l. 17. d. r. junct.*
- 5 *d. l. un. §. 5. add.* Hahn. *ad VVesenb. d. t.* Porrò vidua si dolo malo possessionem in alium transtulerit tenetur actione in factum perpetuâ in id quod actoris interest, dolo malo possessionem in alium translata non esse *l. 1. §. 1. 3. & 4. si ventr. nom. mul. in poss. misf. ead. poss. dol. mal. ad al. transl. esse dicatur.*

catur. Wissenb. d. Disp. th. 20. Struv. Exerc. d. th. 83. non solum vidua hac actione coërcetur, sed & pater in cuius potestate fuit, quique dolo malo fecit ut possessio in alium transfereretur. d. l. 1. §. 1. Cœterum vidua quæ si postquam se prægnantem asseruit, nunquam passa sit ventrem ejus inspicere, nec fuerit ejus venter custoditus, nec postea tempore asserti partus sit adhibita præsentia personarum, præsumptione suppositi partus se onerabit. Mascard. de Prob. vol. 3. conclus. 1147. n. 12. Quod si testes deponant se vidisse decidere de ventre viduæ parvam culcitram, eo tempore quo se gravidam asserbat, præsumitur illam ea de causa adhibuisse ut is tumidus appareret, nec plena fides iis, qui ad inspiciendum ventrem adhibiti habenda, etsi se ventrem tetigisse, imo motum pueri in utero sensisse dicant; Neque novum est mulieres ad inspiciendum ventrem missas minus peritas, aut non integras, aut suspectas esse, fieri enim potest ut illa, quæ asseritur fuisse prægnans, ventrem habuerit durum & tumefactum ex alio morbo, vel aliquo superimposito reddiderit ventrem suum tumidiorem, imo mulier trahendo spiritum potest movere ventrem & movendo, inducere ad credulitatem, id motu infantis accidisse. idem n. 16. Exemplum hujusmodi fraudis à vidua peractæ vide apud Mart. Zeiler. Cent. 4. Epist. 4. Porro ne vidua dolo malo in possessionem venisse dicatur, requiritur ut justo tempore partum Edat, si enim tali tempore Ediderit quo partus ex priori marito esse non possit, dolo malo obtinuisse possessionem censenda est. l. 1. pr. si mul. ventr. nom. in possess. calum. caus. esse dicatur. Initium autem partus edendi tempus JurisConsulti ponunt. ab initio septimi mensis quo partus legitimus nascitur etsi secundo die, septimi mensis nascatur l. 3. §. ult. de suis. & l. 12. de statu hom. usque ad initium undecimi mensis arg. Nov. 39. c. 2. Struv. Exerc. 3. thes. 4. Menoch. de Arb. Jud. 2. Cas. 89. n. 40.

8

6

8

7

01



- n. 40. 41. & seqq. Singulis autem mensibus 30. dies tribuuntur.
- 8 Lauterb. C. I. C. lib. 1. tit. 6. p. m. 24. Ex supra dictis modo constat, viduam se prægnantem vel gravidam asserentem, cum hoc non præsumatur, probare debere, nec in tali casu suæ assertioni creditur, nisi plenè suam prægnationem probaverit. Fulv. Pacian. de Prob. l. 2. c. 4. n. 23. In probanda autem prægnantia Medicorum & obstetricum iudicium, sequuntur Juris Consulti, cuilibet enim in arte sua creditur Pacian. d. l. n. 25. de signis quæ graviditatem certam inferant, præcipuè cum hæc indices cautissimarum obstetricum manus & oculos decipiant C. nec aliqua 4. C. 27. q. 1. C. 14. de Probat. Medicorum foro intacta relinquo, inter omnes tamen constat ante quatuor menses difficilimè graviditatem cognosci posse, post eos etsi maximè velit celare, nolens nihilominus tumefactione ventris, & motu foetus ipsius in utero, præcipuè si validus sit, se ipsam manifestabit. Zacch. Lib. qq. Med. leg. 1. 3. q. n. 6. & 10. iisdem autem viduam gravidam esse asserentibus tum demum creditur si hoc juramento deposuerint arg. l. Hac Edicta. 6. §. His illud. 1. C. de secund. nupt. Rulant. de commiss. n. 11. Etsi enim periti in arte non teneantur de veritate jurare, nisi in iis casibus in quibus certa notitia haberi potest, tamen de credulitate debent juramentum præstare, Mascard. de Prob. vol. 3. conclus. 1208. n. 5. Quod si trium obstetricum copia haberi nequeat duæ vocentur quæ ad probandum concordare debent. l. 1. pr. de ventr. inspic. Non tamen unius obstetricis dictum sufficiet, si plures possint haberi arg. C. 4. de Prob. Marcell. Cala. de mod. art. & prob. 5. n. 3. obstetrices quales esse debeant & quid apud inspectionem observare vide Pacian. de Prob. l. 1. cap. 47. n. 128. & seq. Rulant. d.
- 10 cap. Hæredes verò si viduam gravidam prætendunt, quo probent eam non castè vixisse, ut eatenus legatum sub conditione castæ vitæ relictum, vel aliud lucrum, quod in pœnam non ductæ

ductæ castæ vitæ consequuntur, capiant, ut illa corpus suum
 obstetricibus ad inspiciendum exhibeat, si aliæ sufficientes,
 quæ incastè eam vixisse arguant non adsint præsumptiones,
 cogere eam non possunt. Pacian. *de Probat. lib. 1. c. 63. n. 123.*
 Quæritur si dominus directus aliquem sub conditione, si Va-
 fallus sine liberis decesserit, investierit, & Vasallus sine hæ-
 rede feudali decesserit, relictâ tamen uxore gravidâ, num
 conditio extiterit, investitusque in possessionem inducendus
 sit? Neg. non enim videtur sine liberis decessisse qui uxo-
 rem prægnantem reliquit *l. 187. de R. I.* cumque is qui in
 utero est quoties de commodo ejus agitur pro nato habe-
 tur *l. 7. de suis & legit. l. 7. de stat. hom.* Sed cum incertum sit
 an ex uxore illa prægnante nasciturus sit feudi capax, eous-
 que hoc differendum erit, quousque fœmina peperit. Quod
 si postea nascatur feudi capax, conditionem tempore mor-
 tis vasalli defecisse dicetur, si verò nascatur feudi non capax,
 tum intelligitur conditio vasalli mortis tempore extitisse Vultej.
de Feud. l. 1. c. 7. n. 72. Secundum Privilegium quod habent **II**
 viduæ gravidæ, est, quod non debeant pro debitis incarce-
 rari Manz. *patr. debit. depaup. dec. 1. q. 7. n. 74.* Imo nec ob
 maleficia includi carcere debent, ubi frigore affliguntur car-
 ceratæ, manicæque ferreæ & ferrei compedes circumponun-
 tur, non enim duritie carceris ipsa persona delinquens so-
 lum, sed & partus innocens, qui delicta matris ferre non de-
 bet *t. t. C. ne fil. pro patr. puniretur Nat. cons. 319. n. 3.* quod
 beneficium aliâs Imperator etiam cuilibet mulieri *in Auth.*
Hodie novo jure. C. de custod. reorum. tribuit. Tertium est **12**
 quod viduis gravidis etiam ab hostibus in expugnationibus
 urbium sit parcendum, pœna enim ab iis sumenda quæ ar-
 mis obstiterunt, Grot. *l. 3. c. 11. §. 9. n. 1.* quod ad eò verum,
 ut licet viduæ aliquid commiserint vindicatione peculiari
 dignum, aut si officia virilia contra hostem, vel similia præ-
 stiterint,

H

stiterint,

stiterint, ob quæ aliàs sexus foemineus non est immunis ab inter-
 necione Grot. *d. lib. 3. c. 11. §. 9. n. 3.* tamen occidi non pos-
 sunt, non enim tantùm gravida sed & partus innocens puni-
 retur, verumquè ratione partus committeretur homicidium;
 Quod & Deus genti suæ ob oculos posuit, expresseq̃ prohi-
 buit ne pueros vel foeminas in expugnatione civitatum occi-
 deret, *Deut. 20. v. 13. 14. & seqq.* quod autem Hebræi Hesbo-
 nitarum foeminas & pueros occiderunt *Deut. 2. v. 34.* & quod
 idem fieri Imperatur in Cananæos & quorum connexa cum
 Cananæis erat causa *Deut. 20. v. 16. & 17.* non pro latrocinio
 utpote vitæ & rerum supremo domino auctore facto haben-
 dum erit Grot. *de Iur. Bell. & P. l. 1. c. 1. §. 10. n. 6.* Populi e-
 nim isti propter crimina sua enormia ad poenas has Divinâ
 sententiâ damnati erant, cujus sententiæ Executores erant
 delegati Israëlitæ Grot. *L. 2. c. 15. §. 9. n. 1. id. Lib. 3. c. 4. §. 9.*
 13 *n. 1. Lib. eod. c. 11. §. 9. n. 1.* Quartum est quod vidua gravida
 non possit torqueri *l. 3. ff. de penis.* nec post partum intra qua-
 draginta dies purgationis, debilis enim tunc adhuc est mu-
 lier & minimè apta ad torturam Jul. Clar. *in quest. 64. n. 23.*
Pract. Crim. Pacian. L. 2. c. 4. n. 1. Richt. decis. 7. n. 3. quam si
 Judex intulisset, diceretur excedere modum, & puniretur,
 imo si de facto torta fuit ejus confessio in tortura facta, non
 valet, cum enim licita non est tortura, non valet quod sequi-
 tur ex ipsa. Pacian. *d. l. n. 1.* Adeò autem cautè Judex circa
 tales personas torquendas procedere debet, ut etiam, quo
 ad poenam & torturam differendam, viduæ se prægnantem
 asserenti, credere, nec festinando Medicorum & obstetri-
 cum depositionem sequens, ad torturam properare debeat,
 Pacian. *d. l. n. 17.* manus & oculi enim Medicorum & obste-
 tricorum (præcipuè si quatuor menses à die imprægnationis
 nondum præterlapsi sint) sæpè falluntur *C. nec aliqua. 4. c. 27.*
q. 1. c. 14. de prob. sicque consultius est aliquod adhuc exspe-
 ctare

Etare tempus, quo certò eam gravidam non esse, cognosca-
 tur, quàm sic properando ad torturam causam abortus, vel e-
 necationis infantis in utero consistentis, præbere. Nec ego
 Judicem, qui eo casu, quo vidua se prænantem dicit, Me-
 dicorum & obstetricum depositioni, quæ tamen de creduli-
 tate tantùm fieri potest, fidens, per torturam abortum vel
 infanticidium causavit, in conscientia, cum facilè adhuc tem-
 pus aliquod, quo certius cognosceretur eam gravidam non
 esse, exspectare posset, non excusari puto. Vidua prægnans sic
 ut nec torqueri ita nec territione reali, quæ fit, quando rea ad
 locum torturæ per carnificem ducitur, & funibus alligatur,
 absque tamen elevatione corporis, terreri potest. Prosp. Farin.
 lib. 2. q. Crim. tit. 5. n. 84. Richt. decis. 7. n. 3. quia prohibito
 uno, censentur omnia prohibita, per quæ pervenitur ad illa.
 Quare cum per territionem & præparatoria torturæ perve-
 niri soleat ad ipsam torturam, idcirco sicuti in vidua gravida
 prohibita est tortura d. l. 3. de Pæn. sic prohibita etiam est terri-
 tio, beneficio alterius, ob periculum partûs, quia & terrorem &
 comminationem facilè sequi posset abortus. Quintum est
 quod contra gravidam relegatam, vel bannitam sententia
 non exequatur, sed differatur donec pariat, si confinia sint
 multum distantia, vel tempus partus proximum, sin secus non
 differtur Pacian. lib. 2. c. 4. n. 8. ratio est ne partus detrimen-
 tum ex hoc capiat, & periculum, ne in via partum deponat,
 evitetur. Sextum est quod non possit puniri pœnâ corporis
 afflictivâ veluti manus amputatione, vel fustigatione, post
 partum tamen sententia exequitur, nec præterlapsus dierum
 purgationis præcipuè si pœna sit capitalis, ut in tortura præ-
 cisè, requiritur, cum non requiratur corporis fortitudo, par-
 tus quoque si non possit aliter ali, debet nutriri de publico,
 etsi nutrix nullo modo possit inveniri, executio donec par-
 tum aluisset suspenditur Pacian. d. c. n. 2. 4. & 5. diff. Richt.
 H 2 decis.

14

15

16

- decis. 7. n. 6. Moribus Saxonis poena fustigationis, si per partus tantum septimanas grvida est, wann sie noch nicht über die helffte ist / non suspenditur, cum moderatione tamen fustiganda, ne is qui in utero est lædatur. Sin ad medium Pariendi tempus pervenerit secus est. Richt. decis. 7. n. 4. Septimum est, quod ad mortem condemnata, supplicium sit differendum usque post partum l. 3. de pæn. non tamen post partum tam diu ut dictum, executio suspendenda, donec priorem valetudinem recuperarit. Richt. d. d. n. 3. & Pacian. d. l. n. 3. Jul. Clar. d. q. 97. n. 5. Prax. Crimin. Octavum est quod grvida non teneatur jurare aut testimonium ferre invita in judicio arg. l. 2. §. 4. si quis caut. in jud. sist. non obtemp., ita ut teneatur comparere personaliter, principaliter si sit propinqua partui, adeò ut sit periculum ne itinere defatigata noceat partui. Pacian. d. l. n. 7. sed mittere tum debet Judex notarium ad ejus domum, ut juret atque deponat arg. l. 15. de Iurejur. Excipe (1.) nisi mulier prægnans esset rustica & valens adeò ut eo tempore adhuc onera portare queat, quia tum cessat ratio dispositionis. (2.) In gravidis paucorum dierum quia itidem cessat ratio dispositionis. Add. Pacian. d. l. n. 12. Quæritur: An vidua molam gerens privilegiis prænantium gaudeat? Disting: inter molam solam, & molam cum conceptu, si vidua solam molam absque vero foetu in utero habuerit, non gaudebit illis privilegiis, quibus leges insignierunt matres non tam ratione molestiarum, quam ipsius foetus, cujus præcipuam commiserationem habuerunt, ne ex dolore matris pereat. Secus est in muliere quæ cum mola foetum gerit. Zacch. in q. Med. Legal. l. 1. tit. 3. q. 7. & seqq.

De Vidua tutrice.

Tutela cum virile munus & publicum officium sit *l. 1. C. quando mul. off. tut. fungi possit.* Merito regulariter ab ea arcentur mulieres *l. 2. de R. I. d. l. 1. Struv. Exerc. 31. th. 20.* Vidua tamen ex singulari jure, ob præsumptum affectum erga liberos, ad tutelam liberorum suorum, ex defuncto marito genitorum, admittitur, & quidem jure ff. liberorum tutelam a principali indulgentiâ impetrare poterat *l. f. ff. de Tutel. Struv. d. l. Richt. ad Auth. matr. & avie. C. quando. mul. tut. off. fung. poss. n. 2.* Jure Codicis ipso jure tutela ipsi, si eam expectabat, etiam principali rescripto minus interveniente, deferebatur, sed certis tamen solummodo casibus, ut si tutor legitimus, vel testamentarius deesset, vel privilegio à tutela excusetur, vel suspecti genere submoveatur, vel ne suis quidem pro animi & corporis valetudine, administrandis facultatibus idoneus inveniatur, viduaque Sacramento interveniente, secundis nuptiis renuntiaverit. *l. 2. C. d. t. Richt. d. l. n. 3.* Tandem Justinianus matri viduæ necessitatem jurandi remisit, ipsamque in tutela omnibus agnatis & cognatis præposuit, adeò ut si velit, sibi, postpositis legitimis & dativis, exceptis solum à patre, qui liberis benè prospicere atque consulere voluisse censetur, testamento datis, tutelam vindicet. *Novell. 118. c. 5. Novell. 94. c. 2. Auth. matri & avie. C. quando mul. tut. off. ibique Richt. n. 6. 7. & seqq. Struv. d. l. Brunnem. ad auth. matr. & avie. d. t.* Ratio hujus constitutionis consistit in innata pietate & amore naturali quo magis erga liberos afficiuntur, quam ulli cognati ergà cognatos pupillos *Nov. 94. c. 2.* matre viduâ nolente, vel non existente, avia eodem modo quo mater admittitur *d. Nov. 118. & 94. junct. d. auth.* Notandum ex dictis matrem & aviam

ad tutelam suscipiendam compelli non posse ut alii legitimi tutores, sed in ejus voluntate erit suscipere tutelam, vel eam repudiare, leges enim permiserunt, non necessitatem imposuerunt, *d. LL. Brunnem. ad d. auth.* Si verò Vidua tutelam

3 suscipere voluerit, necesse habebit (1.) secundis nuptiis renuntiare *d. auth. matri & avia.* Juramentum tamen ipsi, ob frequentia perjurya illarum, quæ nihilominus ad secundas nuptias transibant, remissum est. *auth. Sacramentum. d. r.* ratio est, quia Vidua quæ ad secundas properat nuptias, non solum innatam pietatem & amorem deposuisse, sed & novo marito res filiorum data occasione addicere, imò vitam ipsi devovere, præsumitur *l. 22. C. de administr. tut. Conf. Marp. vol. 3. n. 34.* ob quam præsumptionem, etsi mater testamento tutrix constituta, ab ejusmodi renuntiatione non erit exempta, nisi de expressâ mariti voluntate constet *Zoef. ad tit. de test. tut. n. 12. diff. Brunneman. ad d. auth.* neque propterea sunt deterioris conditionis quàm extranei tutores, his enim, quibus renuntiationis causa accommodatur,abilitas deest. *Richt. ad d. auth.* (2.) Renuntiare tenetur S^Cti Vellejani auxilio, ne tutelæ Judicio conventa, istius Exceptionem opponat, sicque liberi defraudentur, fœminæ enim quamvis suo nomine firmiter obligari possint, alieno tamen nomine intercedentes, paucis casibus exceptis, de quibus *vid. Richt. ad d. auth. n. 12. Sichard. ad l. 7. C. de dot. promiss. beneficio d. S^Cti ab obligatione eximuntur tot. tit. ff. ad*

4 *S^Ctum Vellej.* (3.) Denique generaliter omni alii legitimo auxilio mulierum gratiâ introducto renuntiare resque suas expressè obligare tenetur *l. 3. C. d. t. Nov. 94. c. 1.* sub qua generali renuntiatione continentur omnia ea, quæ ipsi ut mulieri, non vero quæ ut parenti ipsi competunt, *Brunnem. d. l.* Renuntiationibus hisce non factis, vel factis quidem, sed mentione earum in tutorio non repertâ quod sæpius hodie

diē, cum jura pupillaria neglectim & levi brachio tractari so-
 leant, accidit, Vidua hisce beneficiis propterea uti non po-
 terit, debebat enim per jura renuntiare, ergo quod legi non
 satisfecit, id matri prodesse, & filio obesse non debet. Brun-
 nem. *ad d. Auth. Richt. ibid. n. 15.* Facta renuntiatione vi- 5
 dua omnes tutores alios, tam dativos, quam legitimos, Ex-
 cludit, & quia mater in hæreditate filii præfertur avo paterno,
 meritò & in suscipienda tutela ipsum excludet *tot. tit. Inst.*
de legit. patr. tut. nisi avus paternus liberos in potestate
 habeat *arg. §. 3. Inst. de tutel. Perez. ad d. tit. Cod. n. 1.*
Brunn. ad d. auth. diff. Struv. Ex. 21. th. 26. Richt. ad d.
auth. n. 16. non tamen testamentariis *Nov. 118. c. 5.* Defun-
 cti quippe voluntas præponi maximeque servanda est, cum
 nemo rectius, quam pater liberis tutorem dare, eisque con-
 sulere, & posse & velle censetur *l. 7. pr. C. de curat. furios.*
junct. l. 73. §. 1. de R. I. Perez. d. l. Si pater matrem tu-
 tricem esse prohibuerit, simpliciter illa excludetur, etiamsi
 alium tutorem non dederit, voluntas enim testatoris custo-
 dienda *d. Nov. C. 5. Strauch. diff. Inst. 5. th. 15.* testator
 enim, qui mores suæ mulieris perspectas habuit, eam utilem
 tutricem futuram non esse, censuit, adeoque talis, cum
 malæ administrationis futuræ metu ac periculo, non erit ad-
 mittenda. Requiritur præterea, ut vidua ad tutelam susci- 6
 piendam sit habilis *arg. l. 7. 3. C. qui dare tut. vel curat. l. 5.*
pr. C. de legit. tut. Hinc si vidua adhuc sit imperfectæ ætatis
 seu minorennis, specialis curator datur ad agendum, vel de-
 fendendam litem, *Perez. d. l.* Dicta hætenus etiam obtinent
 in matre naturali, ratione liberorum naturalium vel spurio-
 rum *l. 3. C. junct. auth. ad hac. d. t.* Et hinc mater ista si no-
 lit esse tutrix, intra annum continuum debet liberis natura-
 libus petere tutorem, nisi velit ab eorum successione repelli.
 Brunnem. *ad d. l. 3.* Singulare quoque est quod mater pro- 7
 pter

pter debitum inter ipsam & filios à tutela non arceatur. *Nov. 94. c. 2. junct. auth. ad hęc. C. d. t.* Jura enim viduam, quamdiu à secundis nuptiis sibi temperavit, extra omnem suspitionem habent, neque de illa præsumunt tantum nefas, ut mente animoque exuta, pupillis ex se oriundis, intervertere debitum, aut solutum semel contra fidem & religionem, denuò petere subtractis apochis, velit. Quod si concurrant a via paterna & materna utraque simul admittitur. *Struv. d. Ex. thes. 26.* Si renuntiatione facta contra eam ad secunda vota vidua tutrix transierit, à tutelâ & curâ expelletur, rationemque administrationis reddere tenetur. *Struv. d. l. Perez l. c. n. 2. Groenevv. de LL. Abrog. ad auth. Sacramentum. C. d. t.* Semel enim in judicio mentita, præponens propriæ confessioni & depositioni secundas concupiscentias, fidem amplius non meretur. *d. Nov. 94. c. 2. in f.* accedit quod viris secundis & bona & vitam pupillorum addicere soleant *l. 22. C. de administ. tut.* Non autem sufficit, si vidua tutelam quasi nuptura deponat, nec tamen nubat forte pœnitentiâ ducta, tum enim eam tutelam depositam recuperare posse æquius est, *Mynsing. 3. Obs. 83. in fin.* etiam si sponsalia celebravit non infecutâ matrimonii consummatione *Ludvvell. disp. 3. th. 4. litt. d.* modo res adhuc sit integra, id est, ad ejus petitionem necdum tutor datus, aliàs secus est. *Perez. d. l. n. 5.* Jura enim nostra de contractis, non contrahendis nuptiis loquuntur *Auth. & Novell. d.* inhumanum enim esset eas quas facinore nondum patrato pœnitentia ad meliorem frugem retraxit, hoc modo privare tutelâ. Quod si vero matrimonium secundum consummatum sit, & deinde denuò vidua facta, tutelam filiorum non recuperabit, sed ab eâ arcebitur, cum enim suspecta abierit à tutelâ filiorum, durat suspitionis causa adhuc propter sobolem ex posteriori marito forte susceptam, quam, propter posteriorem maritum cui res & vi-
 tam

ram addicere dicitur *in d. l. 22.* plus diligere præsumitur, quam
 liberos ex priori marito natos, utpotè quorum amor & cha-
 ritas per exhibitum posterioris mariti reciprocum amorem
 & affectionem conjugalem, planè extinctus aut saltem ni-
 mium obfuscatus est, adeò, ut etiam post mortem mariti
 censeatur durare illam animi alienationem, quam ex novi
 mariti amore & persuasione in liberos primi thori concepit.
 Mynsing. *d. Obs. 83.* Perez. *d. t. n. 3.* Dicta obtinent; sive Vi- 10
 dua ad secundas, vel tertias, vel ulteriores, transeat nuptias
arg. l. 6. C. de secund. nupt. Si tamen à Principe hoc impetra-
 verit mulier, ut possit esse tutrix etiam post secunda vota
 omninò retinebit tutelam ut vult. Brunnem. *ad Auth. Sacra-*
mentum. C. d. t. Porrò vidua post susceptam tutelam secunda
 amplectens vota, antequam tutorem petierit, rationem red-
 diderit, & exsolverit quicquid debet, iisdem pœnis, infam-
 iæ, incapacitatis, & indignitatis, quibus mulier intra an-
 num luctus nubens, punitur *Auth. Eisdem. C. de secund. nupt.*
 Peregrin. *de Iure Fisc. l. 3. t. 16. n. 1.* Sichard. *ad Auth. Eisdem.*
C. de secund. nupt. & bona sequentis mariti subjacent tacitæ
 hypothecæ usque dum filiis ratio & reliqua præstentur. *l. pe-*
nult. C. in quib. caus. pig. vel hyp. hinc illi, qui viduam du-
 cturus est, securitatis ergò curæ esse debet, ut curet viduam
 prius tutores petere, rationem reddere & reliqua restituere,
 deque his peractis instrumentum sibi fieri, nè in ejusmodi
 laqueos incidat, bona verò mulieris expressâ hypothecâ sunt
 affecta *l. 2. C. quand. mul. tut. off.* nec sufficit ad evitandam
 poenam, viduam, quæ post susceptam tutelam denuo nubit,
 unum vel duo ex requisitis adimplevisse, sed necesse habe-
 bit copulativè ista tria ad implere *arg. d. Auth. Eisdem. d. l.*
Omnes. 6. C. ad Sctum Tertull. l. penult. C. in quib. caus. pign.
vel hyp. tac. Peregrin. & Sichard. *d. l.* Hinc talis vidua arce- 11
 tur ab hæreditate filii *l. 2. §. 23. ad Sctum Tertull. l. 2. §. 1. qui*
 I pet.

pet. tut. Peregrin. d. l. Forster. de success. Lib. 7. cap. 16. n. 1. quod non solum locum habet in legitima, sed & quæ à statuto & homine delata est. arg. Auth. Eisdem. junct. l. 1. C. de secund. nupt. neque solum ea in matre, quæ liberos ex justis nuptiis, sed & quæ naturales habet, obtinent Auth. adhuc. C. quando mul. tut. off. l. f. C. qui pet. tut. Forst. d. l. n. 2. & hæc Jure Canonico saltem extra pœnam infamiæ correctæ non sunt Peregrin. d. l. Dispositio enim Juris Canonici sustulit pœnas quatenus imponuntur nuptiis festinatis, hæc autem hoc loco non imponuntur nubentibus quatenus nubunt, & matrimonium contrahunt, sed quia non faciunt ea, quæ ante contractas nuptias lex statuit & ab iis desiderat, scilicet ut antea petant tutorem, rationem & reliqua reddant. d. Auth. Eisdem. ibique Sichard. n. 3. in fin. & Richt. n. 13. & 14. Pe-
12 tere autem debet vidua tutores cum effectu, id est certos idoneosvè consignare l. 2. §. 23. ad Sctum Tertull. & in reje-ctorum, vel excusatorum, sine culpa tamen ejus nominatorum locum, alios substituere d. l. 2. §. 23. junct. §. 32. l. 2. §. 2. qui petant. tut. non enim nisi cum effectu petiisse, & eum, qui possit confirmari à Judice, denominasse, sufficit dd. text. quod si datâ operâ privilegio munitum, vel alium, qui rejicitur denominarit, ab hereditate filii arcetur d. l. 2. §. 32. add. Sichard. d. l. A dictis Excipitur (1.) Vidua minor 25. annis, ea enim quæ 25. annum nondum attigit, etiamsi filiis pupillis tutorem non petierit, propter lubricum ætatis excusatur, ac filiis in pupillari ætate mortuis succedit. l. 2. C. si advers. delict. Peregrin. d. tit. 16. n. 1. in f. neque opus habet minor restitutione, cum ipso jure tuta sit arg. d. l. 2. l. penult. C. ex quib. caus. infam. irrog. l. 1. C. de falsa monet. Auth. si captivi. C. de Episc. & Cleric. Quod adhuc obtinere, etiamsi intra annum post majorem ætatem, tutorem non petiit, putat Forst.
13 d. c. 16. n. 6. Peregrin. d. n. 1. in f. (2.) Si filius non in pubertate,

consignare, & insuper liberos tutores constituere teneatur, qui tamen cum non tam administrant quam observent, ad honorariorum naturam, quam proximè videntur accedere.

C A P U T X.

De foro Viduarum.

- 3
- 1 Sicut mulier per matrimonium exit ex familia patris, & transit in familiam, & domum mariti, ejus consortio perpetuò addicitur, & domicilium ejus sequitur *l. f. §. 3. ad municip. l. 5. de rit. nupt.* ita & foro ejus utitur Richt. *decis. 9. n. 4. Carpzov. in Process. tit. 3. art. 1. n. 52. l. un. C. mulier in quo loc. l. ult. C. de incol. Quod & Vidua post mortem mariti retinet l. 22. §. 1. ad municip. l. ult. C. de incol. l. 13. C. de dignit. Schnob. *disp. ff. 5. th. 10. Lauterb. C. I. C. lib. 5. tit. 1. lit. k. p. m. 101.* Et si is plura habet domicilia in his omnibus poterit conveniri, nisi unum ex his eligat ibique cum suâ familia moretur, quo casu eo loco solum forum sortietur. Struv. *Exerc. 9. th. 28. Carpz. d. l. n. 54. Zang. de Exep. p. 2. c. 1. num. 99.**
- 2 Præter hoc forum quod retinet ex personâ defuncti, propter dignum commiserationis statum, Imperatores ipsi speciale quoddam forum, in quo alios convenire, & ad quod si conveniatur per oppositionem dati beneficii, causam deducere possit dederunt. Imperatores enim ob fortunæ injuriam commiseratione dignas æstimarunt has personas, quæ valido fideli mariti sui præsidio atque tutelâ exutæ, quorumlibet injuriæ obnoxia factæ sunt. Hinc quo magis hominum offensionibus expositæ sunt, eo diligentius huic malo quoque leges remedium quærere voluerunt, adeoque summâ æquitate & providentiâ in *l. unc. C. quando Imper. inter pupillos vel vid. ab Imperatore Constantino Constitutum est, ut inter cæteras in d. l. un. enumeratas miserabiles personas, Vidua*

dua quando conveniatur, ne quidem ex rescripto Principis teneatur comparere extra provinciam, Hodiè à quâlibet civitate, sive judicio inferiori ad superius, nequidem ad Cameram Imperii vocari potest, quamvis sit forum commune omnibus in Imperio Romano degentibus. Struv. *Ex. 9. th. 15.* Sichard. *ad l. un. n. 2.* ratio est ne immensis sumptibus & itinerum periculis vexentur. Perez. *lib. 3. Cod. tit. 24. n. 2.* è diverso si alios convenire velit, non opus habebit adversarii sui, seu rei conventi ordinarium Judicem adire, sed relicto inter medio Judice, per supplicationem ad Summum Principis auditorium reum, qui oppositâ fori incompetentis & beneficii primæ Instantiæ Exceptione minimè summum declinabit tribunal, evocare poterit. Hoc beneficium favore harum personarum ut supra dictum introductum. Struv. *Ex. 9. th. 59.* Carpz. *in Process. tit. 3. art. 6. n. 1. & 2.* Hodiè autem Privilegium hoc amplius non obtinet in Camerâ Imperiali, Imperator enim per capitulationem statibus Imperii se obstrinxit, de subditis statuum Imperii non evocandis, sed quemlibet eorum in jure subditis suis dicendo non impedire promissit. vid. Capit. Leopold. *art. 18.* adeoque vidua, quæ statum aliquo Imperii subjectâ non Cameram Imperii adire, sed omisso medio Judice Aulam Principis frequentare debet, hinc viduis extra casum denegatæ justitiæ, si relicto intermedio Judice ad Cameram supplicentur mandata non decerni dicit Gail. *1. Obs. 1. n. 40.* Quæ dicta Gailii vera esse puto quando non apparet potentia adversarii vel ejus oppressio, si autem ejus sit negotii qualitas, ut sit periculum nè à potentioribus opprimatur, multò magis si appareat ipsa oppressio, puto dictum beneficium in Camera non esse abrogatum & per supplicationem mandata Impetrari posse, nihil enim tam juri divino tam naturali quam humano magis consentaneum excogitari potest, quam ut ejusmodi personæ, quæ omni solatio

3
 5
 6
 tio maritiq̄ue defensione orbatae sunt, à potentiorum op-
 pressione defendantur, accedit quod à jure indulta benefi-
 cia non adeò facile alicui sint auferenda *C. indultum 17. de*
R. I. in 6. favorabilia enim potius amplianda quam restrin-
 genda sunt *Cap. Odis. 15. d. 1.* præcipuè cum ista generali-
 tas, quâ à statuum jurisdictione se non evocatuos eorum
 subditos, promittit Cæsar, optimè restringi possit ad casum
 quò non adest metus, ne vidua in tali judicio à potentiore
 opprimatur; cum enim alius quicumque præstito juramento
 perhorrescentiæ, apud Judicem immediatum audiatur de
 quo vid. Feltman. *de Jurament. Perhorresc.* Quare igitur viduæ
 etiamsi non jurent, aut non quidem ipsius judicis, sed ad-
 versarii fortè immediatè Imperio subjecti potentiam perhor-
 rescant, & causas perhorrescentiæ speciatim enarrent, in
 camera Excluso privilegio **der außträge** non audiri debeant,
 non video. Quamvis dictum Privilegium viduarum secun-
 dum Gail. in Camera exspiraverit non tamen propterea in
 aliorum Principum & Regum territoriis extinctum est, Sed
 adhuc in viridi observatione frequentatur. Sic de Electo-
 ratu saxonix testatur. *Carpz. in process. Tit. 3. art. 6. n. 5. qui n.*
6. & 7. ex Vultej. idem adhuc in Hispania & Gallia in usu
esse, probat. De Electoratu Brandeb. testatur Brunn. ad. d.
l. un. Quæri hic solet an etiam virgo sub nomine viduæ com-
 prehendatur, adeoque dictum privilegium ipsi competat?
 Et quamvis proprie vidua dicatur, cujus maritus mortuus ut
 dictum *supr. cap. 1.* usuque communi hodie solum eæ viduæ
 dicantur, qui virum habuerunt, sed per mortem amiserunt, &
 nomina non ex singulorum opinionibus, sed ex communi
 usu exaudiri debeant, *l. 7. §. 2. de suppellect. leg. l. 18. §. 3. de*
instruct. vel instrum. attamen Juri Civili, rationique *d. l. un.*
 conformius esse puto, si & virginem parente destitutam sub
 vidua comprehendi, ipsique beneficium legis tribuendum
 esse

esse dicamus, diff. Gail. 1. Obs. 1. n. 41. Carpz. d. l. n. 11. § 12.
 Lauterb. C. I. C. Lib. 1. tit. 1. lit. n. p. m. 167. Zœf. ff. lib. 5. tit. 1.
 n. 83. Expresse enim in l. 242. §. *vidua d. V. S.* sub viduâ virgo
 concluditur, caret enim æquè illâ duitate, ac vidua, à quâ
 tamen vidua appellatur, deinde ratio dictæ constitutionis
 est imbecillitas sexus, consilii inopiâ, & mariti à quo de-
 fendantur carentiâ, quæque in virgine ac vidua militant.
 Brunnem. ad d. l. un. Pac. anal. Cod. Lib. 3. tit. 14. n. 2. Quam 7
 sententiam & Gronneveg. de LL. abrog. l. 3. tit. 14. Cod. n. 4.
 si potentia adversarii vel metus oppressio adsit, admittit,
 hinc si famula contra dominum, vel magistratum suum ju-
 dicio experiatur, aut si ab adversario se devirginatam, aut
 imprægnatam, queratur, atque infantis alimoniam petat,
 curiæ jurisdictionem fundatam esse, multis præjudiciis de-
 monstrat. Porro ob prædictam rationem nomen viduæ mere- 8
 tur & ejus privilegio gaudebit, quæ maritum quidem habet,
 sed bannitum vel ad triremes condemnatum Zœf. ad ff. lib.
 5. tit. 1. n. 82. arg. C. 2. §. *sed neque istud de translat. Episcop.*
 Deinde & dicto beneficio gaudebit mulier cujus vir plane est
 inutilis, adeo ut nec opè nec consilio ei assistere, ipsamque
 defendere possit gloss. in l. *fn. in verbo. orbitates. C. ad L.*
Flaviam de Plagiar. Marcell. Cala. de mod. art. c. 1. n. 110. nisi
 culpa mulieris vir factus sit inutilis, non enim propter malos
 mores, vel culpam, mulier privilegium meretur l. 203. de R. I.
 Datur dictum privilegium viduæ, etiamsi adhuc oppressio
 non adsit vel metuatur, generaliter enim & absque restri-
 ctione in d. l. un. datum est hoc privilegium viduis, verba
 enim generalia generaliter accipienda. l. *si servitus. 23. de*
serv. P. V. & sufficit quod opprimi possint Carpz. d. art. n. 8.
 nec verba finalia d. l. un. *Præsertim cum alicujus potentiam*
perhorrescunt, sunt restrictivè accipienda, v. g. *Si Dominus*
servo suo omnia sua negotia præsertim domestica committat,
 non

non vult, ut solum domestica neglectis aliis tractet, sed ut alia
 9 bene tractet, primariam vero curam domesticis impendat. De-
 inde non adimunt hoc privilegium viduis divitiæ, hoc enim
 beneficium ob conditionem viduitatis, & non ob bonorum
 qualitatem datum est, quod satis clare apparet ex Rubr. d. l.
 un. in qua Imperator separat viduas per particulam disjun-
 ctivam vel à miserabilibus personis inter quas & pauperes
 numerandos esse non dubitatur, frustra igitur à miserabilibus
 separasset viduam, si solummodo viduæ pauperi, quæ jam
 sub miserabilibus continebatur, concedere hoc privilegium
 voluisset, nec divitiæ tam viduam ab oppressione aliorum li-
 berant, quam magis obnoxiam reddunt, Gail. 1. Obs. 1. n. 40.
 Zoef. d. n. 83. Carpz. d. art. 6. n. 20. & seqq. Brunnem. ad d. l.
 un. Marcell. de mod. art. c. 1. n. 85. diff. Sichard. ad Rubr. d. l.
 10 un. n. 5. & plures alii quos allegat. Carpz. d. l. Dicta tamen
 fallunt (1.) in viduis statu eminentiori Constitutis, Princi-
 pibus, Comitibus, Baronibus, quibus hoc privilegium haud
 concessum est, quippe in quibus ratio legis consistens in me-
 tu oppressionis, & carentiâ defensionis, cessat, facilius enim
 alios opprimere quam opprimi posse, mihi persuasum habeo.
 Sicque judicatum refert Carpz. d. art. 6. n. 28. quod tantum
 verum esse puto, si cum inferioris conditionis hominibus ne-
 gotium ipsis sit, aliud autem dicendum si cum potentiore-
 bus, quorum potentiam perhorrescunt & eorum oppressio-
 nem metuunt ipsis sit, tum enim rectè ipsis beneficium vi-
 11 duarum dandum propter generalitatem. d. l. un. (2.) Si vi-
 dua agat ex actione cessâ, sive tanquàm procurator in rem
 suam, arg. l. fiscus cum 6. de Jur. Fisc. aliud est si agat tanquàm
 hæres defuncti non privilegiati. Groenevv. de LL. abrog. ad
 12 d. l. un. n. 8. (3.) Si vidua agat contra administratorem bo-
 norum ad reddendas rationes administrationis, tum enim
 administrator, si ultra non consenserit & forum actricis se-
 cutus

cutus fuerit, aliud forum sequi non tenetur, quam ubi bona sunt administrata, *l. 1. C. ubi de ratiociniis*. Groenevveg. *d. l. n. 10.* Carpz. *d. art. num. 40. & seqq.* ratio est, quod eo in loco ubi bona administrata, instructio sufficiens, nota testimonia, & verissima documenta possint præstari *l. 2. in fin. C. ubi de ratiocin.* non tamen idem obtinet in rationum editione, eam enim vidua sibi exhiberi in foro suo privilegiato petere potest, differunt enim rationum redditio & ejus editio, nam edere iustus nihil amplius, quam adversarii inspiciendi facultatem præstare debet, is vero qui reddere rationes jubetur, non solum libertatem inspiciendi præbere, sed ad defectus respondere, & quod reliquum est exsolvere tenetur, quod ille facere haud tenetur. *l. 89. §. ult. de V. S.* Carpz. *d. art. n. 49. & seqq.* Perez. *ad Cod. l. 3. tit. 21. n. 2.* Deinde poterit quoque vidua in foro suo privilegiato petere contra administratorem, ut ipsi, redditio administrationis in locofactæ gestionis injungatur. Groenevveg. *d. l. n. 11.* (4.) Vidua 13 uti non poterit Privilegio fori si citetur ex *L. diffamari*, à processu enim *L. diffamari*, nullum Privilegium, nec ulla exemptio diffamantem liberat. Richt. *decis. 100. n. 28.* adeò ut etiam Episcopus diffamans, ad forum diffamati, etsi diffamatus sit laicus, adeoque Judex ejus secularis, venire teneatur Blarer. *in repet. L. diffamari. c. 3. n. 7.* Cæsar. Contard. *in Leg. diffamari. c. 3. n. 33.* (5.) Vidua si recon- 14 veniatur, minimè causæ reconventionalis remissionem ad suum Judicem domicilii petere potest, sed cogitur causam reconventionalem defendere coram Judice rei conventi Marcell. Cala. *de mod. artic. & prob. c. 1. n. 48.* dolose enim facit vidua, quæ dum alium convenit forum istud approbat omnemque metum oppressionis ab eo abesse putat, ipsamet vero in eo stare & reconventionem suscipere detractat, non enim ipsis decipientibus, sed quando decipiuntur sub-

K

veniendum

- 15 veniendum *l. 110. §. 4. de V. S.* (6.) Si causa sit feudalis tum enim vidua ex privilegio non poterit pro arbitrio vel adire dominum feudi, vel forum Principis vel Ecclesiasticum eligere, sed eam causam coram domino feudi tractare debet. Consuetudines enim feudales in personis vasallorum litigantium & iudicum nusquam distinguunt, atque ipsi etiam Clerici quorum tamen in declinando foro seculari, magnus est favor, Judici feudali se submittere debent. Vult. *de Feud. Lib. 2. cap. 2. n. 23.* Marcell. *Cal. d. l. n. 112.* Coler. *Process. Exc. p. 2. c. 1. n. 108.* add. Struv. *c. 16. aph. 4. ibique object. & respons.* (7.) Vidua non gaudebit privilegio fori si agat contra æque privilegiatum, vulgaris enim est regula privilegiatus contra æque privilegiatum non utitur privilegio Struv. *Ex. 9. th. 60.* Richt. *decis. 1. n. 133. idem decis. 100. n. 98.* quod dictum axioma verum est si utriusque privilegia sunt paria tunc enim se invicem concurrente frangunt, adeoque ad jus commune recurrendum, proinde actor privilegiatus rei æque privilegiati forum sequi tenetur Perez. *l. c. n. 4.* Quando vero unus magis est privilegiatus, tunc utitur iste suo privilegio contra minus habentem privilegium. Richt. *d. d. 100. n. 100.* hinc privilegium ætatis quod pupillis datum est, non excluditur per privilegium S^Ci Vellejani vel Macedoniani quod accidentale est adeoque minus fortè, istud vero quod pupillis datum, naturale est, sicque fortius. Richt. *dec. 76. n. 95.* adeoque & viduam ad suum forum non obstante regula privilegiatus &c. trahere defendit *Cal. de mod. art. d. c. 1. n. 81.* Et quamvis Justinianus generali Constitutione in *Nov. 86.* prohibuerit subditos ex sua provincia, ne quidem ad tribunal Principis evocari, nisi Provincialis Justitiam administrare detrectet, tamen per hoc Privilegium *in d. l. un.* Viduis tributum, abrogatum esse non puto, sed eas nihilominus *d. Nov.* non obstante, posse adhuc alios coram tribunal
Principis

Principis convenire, eosque ibidem comparere necesse habere; generalis enim Constitutio non tollit ea quæ specialiter concessa, in Jure enim non speciei per genus, sed generi per speciem derogatur. *l. 80. ff. de R. I. l. 99. §. 5. de leg. 3. Brun- nem. ad d. l. un. Sichard. ibid. n. 2. & 3. Pac. Anal. Cod. lib. 3. tit. 14. n. 8.* Præter forum Principis Viduis ab Impp. concessum, & Jure Canonico approbatum *C. 23. XXIII. quest. 5.* ipsis quoque forum Ecclesiasticum tribuit Pontifex, ut Laicos coram Judice Ecclesiastico, si suum apud Judicem sæcularem consequi non potuerint, convenire possint. *C. Ex tenore. II. de foro competenti. Perez. in lib. 3. tit. 14. eod. n. 6.*

C A P U T XI.

De Viduis turpiter viventibus.

QUamvis Jura Viduas ob conditionem & statum eorum ^I variis & egregiis Juribus, ac Privilegiis honestaverunt sicque eas ab omnium malorum invasione & oppressione securas reddiderunt, non tamen eousque deventum ut petulantia earum quid indulgissent, connivendoque turpiter eas grassari vitamque qualemcunque etiam vilem & inhonestam gerere permisissent, quam ut potius exactiorem inculpatae vitæ speciem, & imitabile præclararum virtutum Exemplar aliis præbere, desiderent, præcipue cum cautiores esse possint & debeant pro custodiendâ honestate Viduæ, turpiusque delinquant se prostituendo quam virgines *Mev. ad Ius Lub. lib. 4. tit. 5. art. 3. n. 1. & 2.* Hinc si indecentem, turpem, & inhonestam vitam ducant exutis à legibus salubriter ipsis datis privilegiis, variis subjacebunt pœnis. Quarum (1.) est, ² quod ea quæ propter maritum defunctum consecuta fuit, ut dignitatem nobilitatem & forum perdat Vidua incastè & luxuriosè vivens, melioris enim alias esset conditionis vidua,

K 2

quæ

quæ vagæ libidini studeret, quam quæ secundas castè amplecteretur nuptias, illa enim omnia à persona mariti ipsi communicata perdit. *l. 13. C. de dignit. l. 9. C. de incol. l. 10. C. de nupt. Forst. de Success. l. 7. c. 15. n. 12. Jul. Clar. Lib. Sent. 5. §. stuprum. n. 7. Brunnem. ad l. 10. C. de nupt. Petr. Duenas Fallent. Reg. Iur. 628. fall. 4. (2.)* Si mulier statim post mortem mariti intra annum luctus cœperit scelestam & libidinofam vitam agere, donationem propter nuptias perdit. *Novell. 39. c. 2. §. fin. Auth. Eisdem. C. de secund. nupt. Wissenb. disp. 48. thes. 23.* & omnes pœnas intra annum luctus nubentibus impositas, inque *l. 1. C. de secund. nupt.* expressas, patietur *d. Nov. 39. & Auth. Eisdem.* Nec pœnæ nubentium intra annum luctus, in casu quo vidua intra illud tempus stuprum committit, Jure Canonico sunt sublatae *Brunn. d. l. 1. C. de secund. nupt. Peregrin. de Iur. Fisc. lib. 3. c. 15. n. 5.* Et hanc communem esse Doctorum opinionem dicit *Jul. Clarus. Lib. Sent. 5. §. Stuprum. num. 6.* Dictis pœnis quoque subjacet vidua, quæ circa terminum anni, id est mense undecimo completo, parit, mulieres enim *ut supra dictum* ultra decimum mensem partum differre non solent, adeoque quæ post undecimum mensem parit ex marito defuncto non concepisse, sed stuprum commisisse præsumitur, hinc iisdem pœnis quibus intra annum nubentes, puniuntur, afficienda erit, etsi de stupro patrato non constet, *d. Nov. 39. & Auth. Eisdem.* ibique *Sichard. n. 1.* hæc quoque obtinent, si maritus longo tempore æger decubuerit vel talis conditionis fuerit, ut gignere non potuerit, adeò ut appareat ex tempore, natum non esse ex defuncto conceptum, tum licet intra legitimum tempus à morte mariti ut mense 7. 9. vel 10. partum ediderit, à dicta pœna non erit libera *Sichard. ad d. Auth. num. 1. & 2. (3.)* Post annum luctus vidua stuprum committens non quidem incidit in pœnas *l. 1. & 2. C. de secund. nupt.* agunt enim illæ
expressè

expresse denuptiis & stupro commissio intra annum luctus, incidit tamen in alias poenas omnes secundò nubentibus impositas Peregr. d. c. 15. n. 7. & 8. injustum enim esset plus indulgere luxuriæ castitate, & maritum defunctum ejusvè liberos minus affligi & dehonestari per stuprum & vitam luxuriosam, quam per secundas nuptias. Nov. 39. c. 2. §. 1. in f. quod nec Jure Canonico mutatum, Brunnem. ad l. 3. C. de secund. nupt. nec poenas has quas per stuprum attraxit, evitat, si postea nubat vel cum eo amasio vel cum alio. Et tali viduæ, sicut & illi, qui eam stupravit, relicta à defuncto, à fisco tanquam indignæ eripi, tradit Peregrin. de jure. fisc. l. 2. tit. 8. n. 3. & 5. l. 3. tit. 15. n. 8. quod verum esse puto si nulli ex priori matrimonio adsint liberi, qui si adsint, non fisco sed his cedere puto. arg. l. 1. & 3. C. de secund. nupt. (4.) Vidua quæ tutelam liberorum suorum nacta est, si incontinenter & luxuriosè, sive intra sive post annum luctus vivat, licet ad secunda vota non transeat, perdit tutelam, officioque Judicis ab ea removeri debet. Gail. 2. Obs. 98. n. 16. Forst. de Succession. lib. 7. c. 15. n. 11. Sichard. ad Auth. Eisdem. C. d. t. n. 3. in f. Perez. ad lib. 5. tit. 35. n. 4. & 5. Brunnem. ad l. 5. C. quando mulier. off. tut. poenasque omnes, quas ea, quæ non petito tutore, rationibus redditis, & reliquis exsolutis, ad secundas nuptias transit, subit, & ipsa sustinebit Auth. Eisdem. Cod. de secund. nupt. l. 3. C. Quand. mulier. tut. off. Peregrin. de Jure Fisc. lib. 3. tit. 15. n. 6. tit. 16. n. 3. Esset enim contra rationem plus privilegii mulieri turpiter & impudicè viventi, quam castè & honestè nubenti concedere Nov. 39. c. 2. in fin. Limitat dicta Petr. Duenas Fall. Reg. Jur. 628. fall. 1. in vidua tutrice testamentaria, ejus enim quæ à defuncto electa, tutrixque testamento Constituta, fides & diligentia testatori perspecta, & ab ipso approbata fuit pr. Instit. de Satisdat. adeò ut propter vitam minus exactam & convenientem

nientem ipsam in bonis pupillorum grassaturam, animum-
 que planè ab iis alienaturam, præsumendum non sit. Si ta-
 men tutelam non ex fide gerere cœperit officio Judicis tan-
 quam suspecta removenda erit. §. 2. 5. & seqq. *Instit. de susp.*
 6 *tutor.* (5.) Luxuriosè & incontinenter viventes Viduæ,
 Privilegium in *l. un. quando imper. inter pupill.* ipsis ob singu-
 larem favorem datum, perdunt. *Cala. de mod. art. c. 1. n. 75.*
Brunneman. ad d. l. un. Jul. Clar. Sent. 5. §. Stuprum. num. 7.
 Non enim malitiis hominum indulgendum, vitæque tam
 obscœna & scandalosa, concedendo iis adhuc privilegia, mi-
 7 nimè approbanda est. (6.) Luxuriosè vivens stuprumque
 passa vidua ex collegio ejici potest *Brunnem. ad tit. Cod. de*
dignitat. Richt. d. 8. n. 10. 19. Hahn. d. t. n. 8. Struv. Ex. 7.
thes. 20. maculam non minimam enim per illegitimam con-
 junctionem contrahit vidua *Hahn. ad Vvesenb. tit. de his qui*
 8 *not. infam. num. 1.* (7.) Amittit Vidua, quæ luxuriosam &
 turpem vitam gerit, lucrum statutarium *arg. Nov. 39. c. 2. in*
fin. junct. l. II. C. de repud. ubi mulier propter impudicam vi-
 tam, privatur donatione antenuptiali, ergo & lucro statu-
 tario quod in locum ejus successit *Mev. ad Jus Lub. p. 2. tit. 2.*
art. 12. num. 416. & seqq. Non enim per virum lucrari debet
 mulier, quem tam velociter dehonestavit *d. Nov. 39. c. 2. pr.*
vers. & quoniam. Et frustra beneficium legis requirit, qui
 contra legem peccat, seque illâ indignam reddit. *l. 37. §. 1. in*
 9 *fin. de minor.* (8.) Præter pœnas has enumeratas si vidua
 ejus fuerit depravati animi, ut etiam cum conjugato concu-
 buerit, quod adulterium tertii generis appellari solet, *Struv.*
Exercitat. 49. thes. 49. tunc secundum *l. 30. C. ad L. Jul. de*
Adult. & §. item Lex Julia. Inst. de Publ. Ind. gladio punien-
 da erat, quam Constitutionem Imperator Justinianus miti-
 gavit & in *Novell. 134. cap. 10. & Auth. sed hodie. C. Ad Le-*
gem Jul. de Adulter. constituit, ut talis vidua in Monasterium detru-

detrudatur, ibique quo ad vivat Monasticam vitam agat, liberis, si adsint, tribus bonorum suorum partibus assignatis, Monasterio tertiâ, his non exstantibus, si parentes adsint, & huic sceleri non consenserint iis tantum tertia pars applicetur, duæ Monasterio, prædictis verò his non exstantibus tota substantia Monasterio accrescet. Hodie vero ejusmodi 10
vidua pro arbitrio Judicis carcere vel relegatione temporali punitur, Struv. *Ex. d. th. 30.* est enim quo ad ejus personam potius stuprum quam adulterium Richt. *ad d. auth. sed hodie. n. 6.* in Electoratu vero Sax., sicut & aliis quibusdam regionibus; Vidua ejusmodi virgis cœsa in perpetuum relegatur, sicque in Collegio Juridico Jenensi Judicatum refert Richt. *decis. 88. n. 42.* Ituprum vero inferens, quoniam ille fidem conjugii datam violat, thorumque ptoprium conspurcat, merito pœnam simplicis adulterii sustinet, & quidem Jure Saxo- nico pœnam gladii Struv. *d. Ex. thes. 30.* Richt. *d. l. n. 42. (9.)* Et 11
cum alias præsumant Jura Viduæ, in quam stuprum illatum esse, ex confessione utriusque constat, matrimonium esse promissum, ipsamque saltem spe futuri, & promissi matrimonii aliquem admisisse, adeoque nisi stuprator juramento de non promisso matrimonio se purgaverit, eam Jure Canonico dotare & ducere, moribus verò elective aut ducere aut dotare debeat, Richt. *decis. 88. n. 1. 2. 4. 5. & seqq.* hoc tam beneficio exuitur illa quæ inhonestam ducit vitam Jul. Clar. *d. §. stuprum. n. 3. in fin.* Richt. *d. l. n. 20.* Prætereà hodie 12
ejusmodi vidua præcipuè in terris Saxonix Impositâ pœnitentiâ Ecclesiasticâ *Kirchen-buß* / pro Judicis arbitrio pœnâ carceris relegationis, aut fustigationis mulctari solet, Schilt. *Inst. Jur. Canon. lib. 2. tit. 13. §. 5.* Ad ea quæ hætenus de viduâ luxuriosâ diximus non requiritur ut vidua ex stupro pariat aut stuprum probetur commissum, potest enim vidua & sine stupro inhonestè & turpiter vivere Pacian. *de probat.*
L. 1.

L. l. c. 14. n. 20. sanè enim impudicam & inhonestam vitam agit illa foemina, quæ amplexibus, osculisquè virorum utitur, inhonestos actus sponte patitur, foris præcipuè in locis suspectis pernoctat, se eodem loco cum viris lavat, noctu Juvenes domo sua alat, aut eos tempore nocturno intrare aut exire permittat, vidua enim, quò turpiter conversatur lædit pudicitia nomen, & à communiter accidentibus cognita præsumitur ad quam passus iteratur. *arg. l. 9. §. 3. Cod. de repud. Pacian. d. l. n. 21.* Plura de hâc materiâ disquiri potuissent, sed quoniam amplum hunc campum percurrere, eumque in totum exhaurire, nec temporis penuria nec methodus conscribendæ Disputationis patiatur, hic pedem figo. Tibique Patri Omnipotenti pro gratiosâ tuâ assistentiâ, gratias ago, me actionesque meas tibi devoveo, humiliterque rogo, ut eas Spiritu tuo Sancto ita dirigere velis, ut cedant in Tui Gloriam & Proximi salutem. AMEN.

CORROLLARIA.

I.
Pactum nudum neque Iure Civili neque Canonico parit actionem.

II.
 Objectum depositi tam res mobiles quam immobiles sunt.

III.
 Ad Legem Scriptam necessario requiritur Scriptura.

IV.
 Gradus prohibiti Levit. 18. non sunt morales.

V.
 Hereticis fides data servanda.

VJ. *Furens*

VI.

Furem suspendi nec Iure Divino, nec naturali repugnat.

VII.

Israëlitæ Ægyptiis Exod. 3. v. 22. vasa argentea & aurea intervertendo, furtum non commiserunt.

VIII.

Testamentum in quo filius exheredatus absque adjectâ causâ ingratitudinis est ipso Iure nullum.

IX.

Filius f. de peculio adventitio extraordinario testari non potest.

X.

Subditi contra Regem eo quod malè administret arma capere non possunt.

XI.

Divortium num veteri testamento licuerit? A. vel N.

Jus Viduis sacrum SEVERIN Lectissime tractas:

Tota Astræa viro stat viduata suo:
Te sponsum casto vocat & Te corde Patronum,
Tot male cordatis dedecorata procis.

Hem! solare tuam faustis amplexibus Orbam,
Sic veniet pressis, Jus Viduisque suum.

Interea tantos multum tibi gratulor ausus,
Fac breviter Sponsæ grater & ipse tuæ!

*Honori & meritis Nobilissimi ac Pereximii Domini
Candidati Amici sui singularis pro Doctorali
Laureâ pulchrè disputantis*

m. m. q. posuit

WILH: CRUSIUS, JC.
Univerf. h. t. Rect.

L

Nobilissi-

Nobilissimo nec non Præstantissimo

DN. JOHANNI SEVERINI,

Pro Summis in Utroque Jure Honoribus

De

JURE VIDUARUM,

Feliciter publicè defendenti

Hoc-

HEus! Paulisper ab inceptis mea penna quiesce,
 Ac laudes versu meritas describere tenta;
 R. Cur laudes Hujus tentarem scribere versu?
 Scis, hunc ex campis palmam portasse duobus,
 Aggreditur ternum, Cujus quoque victor abibit
 Talis, ut à quovis Doctoris honore Colendus,
 Non minus à quavis, quia jus defendit earum;
 Idcirco, ut sileam, præstat, manifesta cuique,
 Nec vili nostrò describi Carmine possunt;
 Cæpta cadant igitur dextre, feliciter omni
 Tempore perge, velit semper tibi Numen adesse.

- Optans

Ex intimo Cordis fraternitatisque vinculo

M. L. P.

J. O. H. T. H. E. O. D. W. E. V. E. R.,
 Herschedâ-Marcanus, J. U. Cand.

I N H O N O R E M

DOMINI DOCTORANDI.

SIt licet, in stricto sistat se plurima Jure
 Turba Peritorum, dicantque ex Jure SEVERUM

(AR)

(Aft male) Judicium; potius pars fanior æquum
 Non sprevisse docet, quoque hac lege SEVERUS,
 Sic te, quod nomen dictat SEVERINE SEVERUM,
 Efferet, hæc animo fuerit bene congrua Virtus,
 Et tibi sic mundus, tibi sic quoque postea Cælum
 Et laudes, nec non Cœlestes reddet honores.

*Quod utrumque Nobilissimo Doctissimoque D. Do-
 mino IO ANNI SEVERINI mox Docto-
 rando apprecatur*

Ipsius

In Perpetuum Addictissimus & obsequio-
 sissimus Servus

FERDINANDUS SCHNUR,
 Padibornâ - Westphalus, LL. C.

Uß Sein entflamter Geist auff daß sich hab beflissen /
 Was von dem Pöbel-Volck uns zu den Sternen führ't:
 Daß Er der wollust sich und müßiggang entrissen /
 Dasselbe Cöllen / und auch Jena hat gespühr't.
 Es zeigt Sein grosser fleiß / und embsiges studieren /
 Sambt seiner wissenschaft / sich jetzt in kluger Schrift:
 Daß Recht der Widtwen wird noch Seinen Nahmen zieren /
 Und sein ein Ehren-Seul / zu grossem ruh in gestift;
 Die Themis will Sie in daß Buch der zeiten schreiben:
 Er mach't dadurch den ruh in den anderen zweiffelhaft.
 Es wird Sie keine grufft / nach grosser Meidt vertreiben /
 Die bleiche Mißgunst muß verlieren ihre Krafft.
 Wohlan dan Wehrter Freund / Er komm / und nehm zum Lohne /
 (Was Ihm vor langer zeit mit recht gebühret hat /
 Nun aber Duisburg schenck't /) die theure Docter-Krohne:
 Glück zu Herz SEVERIN, glück zu dem neuen Staat.

L. 2

Das

Das Frauen-Zimmer all! das schöne Volk der Erden!
 Muß Ihm fürwahr sein hold: Weil Er der Wittwen Rechte
 (Die Sie bisweilen wol nicht gerne wollen werden)
 So zierlich aufgesetzt: So daß es wäre schlecht!
 Wann eine Schöne nicht Ihm würde zuerkennet:
 So doch schon in dem Raht der Nymphen ist gescheh'n!
 Da ein Vollkommen Bild zum Preis Ihm würd ernennet;
 Worzu dan wünsche Glück! und hoff es bald zu seh'n.

Auß schuldigster obliegenheit hat dieses dem Hochgelehrten
 Herren Doctorando, seinem Hochgeschätzten Freunde
 zu Ehren! glückwünschend hinzu fügen wollen

C L E M E N S B E R G,
 Ein Bergischer / LL. C.

TAm bene de Viduis scripsit tua penna, quod illam
 Encomio Viduam dicere nemo queat;
 Te sibi si tantum scirent Viduæ esse Patronum
 Pauca te sine tunc esse volent Viduæ!
 Tam deduxisti Viduæ Privilegia fuse
 Ut nullus sciret jungere jota quidem,
 Hoc unum liceat: quod quæ est tibi lecta futura
 Uxor, adhuc Viduæ jure diu careat.
 Sic erit ut nondum deploret tempore longo
 Nec viduus viduam, nec viduum vidua.

*Hoc non tam concinnè quàm debitè Nobilissimo
 & Pereximio Dn. IOH. SEVERINI, dum pro
 adipiscendâ Doctoratûs Laureâ disertissimè
 disputaret ponebat*

JOACHIMUS BERNARDUS SCHORN,
 Dusselanus, LL. Studiosus.

Duisburg, Diss., 1661-33

(1)

ULB Halle


3

004 527 046



Sb

107



T.
 JURIDICA
 ALIS
 1691, 2
V I.
U M,
 NI NUMINIS,
 DECRETO
que Amplissimi
LTORUM
IS,
 a Universitate
 ENSI,
 noribus atque Pri-
 endis,
mini subjicit
EVERINI,
 phalus,
tot horis consuetis.
HENUM,
 demix Typographum.
XCI.

410
~~410~~
 15

